198

Imperfect

wanting

B1, B4, K3

E1 torn

Some plates wanting



KOLBE, Wenceslaus.



Limpidissimus in fluentis Moldavæ Gratiarum Fons

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis ad S. Vitum

CANONICUS,

Ob illæsum Sacramenti Pœnitentiæ sigillum

MARTYR,

Et famâ periclitantium singularis

PATRONUS;

Peracta Romæ Apotheosi

Symbolis, Lemmatis, Elogiis, ac Poëmate illustratus,

Cum adjunctis Ethicæ Maximis.

Typis Universit. Carolo-Ferdin. Soc. J. ad S. Clementem, per Norbertum Fitzky Factorem.

Illustrissimi, Admodùm Reverendi, Perillustres, Nobiles, Prænobiles, ac Doctissimi D. D.

AA.LL. & Philosophiæ Magistri.



Ui toto devotionis affectu Vestrum Philosophiæ studium consecrâstis: Eundem ego vobis dedico Symbolis, Lemmatis, Elogiis, & Poëmate illustratum S. JOANNEM NEPOMUCENUM Doctissimi DD. Philosophiæ Magistri, sed non totum, quoad singula nimirum vitæ, aut prodigiorum acta. Non quasi ex toto Vester in Gratiam Bohemiæ affectus non foret; sed quia difficulter evenire potuit, ut JOANNEM caperetis ex integro, qui jam à cæli luminaribus in Moldava captus fuerat, & cum thaumate comprehensus. Illum proinde in compendio duntaxat Vobis exhibeo: quoniam Philosodhiâ illuminati omnem in epitome comprehenditis claritatem, eam videlicet, quæ virtutem, ac scientiam facit nobiliorem. Arbitror autem, quòd levidense hoc meum opus

pus

pus non levi sitis animo recepturi ; nam Vestræ actuosæ virtutis gravitas majoris est ponderis , quàm ut in auras sublimetur. Ego sanè in præsentiarum stylo gradior humili, non tamen serpentino : quia nimirum dedecet in ejusmodi serpere materia , quæ paucis tanta complectitur , quanta virtutis ac sapientiæ præbuit exempla JOANNES in hac Alma, Celeberrima, ac Antiquissima Universitate Pragensi Philosophiæ Doctor. Doctorem auditis Nepomucenum ? Hæc Vobis jam sufficit gloria : quia Philosophum ; nempe in Doctore (quod idem est, ac Philosophiæ Magistro) totum jam virtutis, ac sapientiæ intelligitur magisterium. Sed cur ego honori Joanneo morales subnecto Maximas, ut eas Vestris hodiernis honoribus deferam? quia nimirum hoc ut agam, quà vestrum meritum, quà integerrimus meus pro cumulata gloria vestra pugnat & animus & affectus. In eo quidem opella mea versatur argumento , ut si vestram ad omnem virtutis omnigenæ amussim castigatam, formatámque morum, vitæque decentiam intuear, ad vos omnino spectare vix aliquid putem ; nam per Ethicæ studium ad quodlibet activæ virtutis exercitium adeò estis eruditi, ut ipsam in vobis Ethicam vivere fateri debeam ; si verò expendam, quòd prælectiones Philosophiæ moralis auditu duntaxat exceperitis , non itèm pennâ eas in papyrum consi-

 gna-

gnaveritis, compendium hoc Ethicæ vestras prensare dexteras quàm plurimùm videtur. Siquidem licèt perspicax ingenii vestri acies facilè penetraverit illius doctrinæ Maximas, quæ non minùs animum ad amplectendas virtutes manuducit, quàm salutari prodesse consilio, jus dicere, æquitatem tueri, injurias docet antevertere; quia tamen ea omnium mortalium, & per consequens etiam vestra, est conditio, ut, quæ indefesso labore condidicerunt, eorum sæpe obliviscantur; ideo hunc Vobis libellum in memoriosæ facultatis levamen censui communicandum. Continet ille primaria moralis disciplinæ documenta succinctè posita, quæ, si fusiùs deducerentur, ipsa fors materiæ moles tædium afferret. Vos proinde, qui ad Reipublicæ felicitatem ità curritis, ut plenô virtutum stipati choragiô, fortunato progressu intaminatæ virtutis Appiam decurratis, habete hoc munus vestris hodie honoribus consecratum. Legetis in eo limpidissimũ in fluentis Moldavæ gratiarum fontem S. JOANNEM Nepomucenum; simul verò præcipuas Ethici hominis virtutes cum gustu legetis. Quòd si eo animi candore pagellas has suscipitis, quô à me deferuntur; integerrimo in me affectu nunc quidem, porrò chari vivetis Discipuli, nunquam non Amici, qui vestro addictissimus, & nunc, & aliàs vivo, vivámque

Nomini ac Honori

Integerrimus in Christo servus
Wenceslaus Kolbe è Societate JESU.



S. Iosue de
Urtica Can.
Reg. natus
e Sterilibus
parentibus.
Ribad. 2. Iun.

Ioannes Nepomuci ex grandævis
parentibus nascitur, cœlesti flam,
ma domum paternam ambiente.
Vita Num. 2. et 3.

S. Ioana Ord.
Præd. Alfonso
V. et Isabella
Lusit. Regibus
diu Sterilibus
nata. Lect.
SS. 12. Maij.

Cum Priv. S. C. M.

I. A. P. exc. A. V.



S. JOANNES NEPOMUCENUS

DEI-Parentis ope genitus;

A Mari Gratiarum

Luci publicæ datus

U N I O.

SYMBOLUM : Unio extra pelagus.
LEMMA : Exemptus ab æquore ditat.

Unio nativæ rumpens cunabula conchæ,
Maturo pretii ditat honore ſolum.
Materno exemptus gremio, quàm fauſta JOANNES
Augmentat pretiô Regna Bohema ſuô!

E L O G I U M.

N ortu pennam acue Musa !
Nè Infantis auroræ amica
Tacuisse gloriam honoris videâre.
Purpuræ stylus innatet
Natales illustraturus Athletæ purpurati.
Magnum diluculat Thauma
JOANNES NEPOMUCENUS !
Quia luci datur publicæ
Gratia per Matrem gratiarum.
Nempe : nobiliorem aliis nancisci debuit Lucinam,
Quem haud clari generis Parens
Impetravit à serenissima cælorum Regina ,
Et illustrantibus domum empyreæ pyris
Peperit ad claritatem.
Quàm illustris in ortu unio JOANNES
Unitis precibus ac votis
A MARIA gratiarum mari
Devotè exoratus!
Vitreas pelagi cunas
Suæ habent geneseos quasi Cannas
Cæteri in orbis pretium nati uniones;
Qui Bohemiæ Leonem suô venit augmentare pretiô,
Precum ope genethlia meruit cunabula
Non in salo Neptuni imperio,
Verùm in solo pietatis Marianæ sinu,

Ut

Ut prodigioſo conceptu Czechiæ inſinuaret,
Captu ſe futurum, omníque laudis conceptu ſublimiorem.
Nimirum è ſerena undarum cryſtallo
Emergunt fulgidiſſima diadematum cimelia,
Gratiæ Camilli;
Pelago immerguntur gratioſo,
Ut in orbem feliciùs emergant.
Prodiga eſt oceani liberalitas:
Mirô naturæ ingeniô aquas diffundit ad prodigium,
Ut labantur, non dilabantur.
In undis ſpecularibus pretioſos vehit uniones,
Ut pretium lucretur amoris alieni;
Siquidem liberè ſibi devincit univerſos,
Nè capta videatur,
Niſi vinculô gratiarum.
Majus in DEI-para Divinorum chariſmatum abyſſo
Liberalitatis demirêre ingenium.
Symbolô figuratur Oceani,
Et liberale priùs exhaurit ingenium,
Quàm genuinè laudari ſuſtineat;
Nam inexhauſta, deſideria exhauſit ſingulorum,
Cùm unam gratiæ Symbolam
Ad genethlia contulit JOANNIS
Illum è ſuo eximens gratiarum Alto,
Ut Bohemiæ Regnum à curis eximeret,
Unde ſui petendum ſit pretium honoris.
Hunc ergo immenſum JOANNEÆ originis fontem

Felix Regnum ! Hyperduliæ cultu corona,
Tuæque auctarium gloriæ Unionem
In perpetuo devotionis habe pretio.

CAPUT I.

De virtute morali genericè conſiderata.

Virtus ſibimet pulcherrima merces.
Claud. in Conſul. Manl.

BEatitudo hominis ab Ariſtotele definitur Lib. I. Ethic. cap. 7. *Operatio animi ſecundùm virtutem.* Felicitas itaque humana conſiſtit in actione virtutis, quæ cives efficit bonos, ac legibus obtemperantes. Virtutis autem ſubjectum eſt animus, qui ex variis cognoſcitur operationibus à potentiis rationali ac ſenſitiva proficiſcentibus. Etymon virtutis oraculô Marci Tullii Lib. 2. Tuſculan. QQ. apud Latios à *Viro* deductum eſſe videtur; apud Græcos juxta Platonem in Cratylo *amabilem* denotat. At enim non tanti refert, unde ſuum ſortiatur nomen virtus; ſufficit enim, quòd genericè conſiderata ſit: *cujuſcunque rei perfectio, ſecundùm quam ipſa res optimè ſe habet, & munere ſuo rectiſſimè fungitur*; utì explicuêre Pythagorei. Clariùs tamen ad mentem Philoſophi L. 2. Ethic. ità definiri poteſt, quòd nempe ſit *habitus agendi aliquid cum conſilio, conſiſtens in mediocritate quoad nos relata, & ratione definita, ſicut vir prudens illam definiret.* Quanquam verò aliqui Veterum (quales fuêre Zeno, Menedemus,

demns, Aristo, cæteríque Stoicorum) unam tantùm dixerint quoad essentiam esse virtutem, quæ varias deinde sortiatur appellationes; Divinus tamen Plato, Aristoteles, Cicero, aliíque rectè plures virtutum species constituerunt. Siquidem homini à natura non est inditum ejusmodi universale principium, quod eundem ad quodlibet honestum manuducat, sed virtutes morales frequenti exercitatione sunt acquirendæ. Si enim à natura mortalium animis forent insitæ, nullô pactô in illis mutarentur. Quod tamen fieri clarum est. Multi enim homines, utinam non plurimi! suos mores sola conversatione, & aliorum consuetudine adeò immutant, ut quodammodo alii efficiantur; quia nimirum ùt canit Satyricus:

- - - tamen ad mores natura recurrit
Damnatos; fixa & mutari nescia.

Ut quis proinde veram felicitatem, summúmque hominis in præsente vita bonum obtineat, quod juxta Philosophum Lib. I. Ethicor. cap. 7. est *operatio animæ ex virtute*, ad plures acquirendas virtutes incumbat, oportet. Ea enim ratione virtuosas operationes cum gaudio exercebit. Siquidem quævis actio virtutis comites habet honestatem, & jucunditatem juxta illam Alberti I. Rom. Imp. tesseram: *Quod optimum, idem jucundissimum.*

* * *
* *

S. JOANNES NEPOMUCENUS

In tenera ætate
Dans magnæ Sanctitatis indicia;

Genita Immortalitati

Libani Gloria

CEDRUS.

SYMBOLUM: Cedri plantula immortali præludens virori.
LEMMA: Quàm quondam sublimis erit!

Quæ per Olympiadas vivum est habitura virorem,
Præludit tenero Libana flore cedrus.
JOANNIS virtus primo præludit in ævo,
Quas probitatis opes sacra senecta dabit.

ELO-


Puer autem erat minister
in conspectu Domini an,
te faciem Heli Sacerdotis.
1. Reg. C. 2. v. 11.
S. Ioannes de
Goto M. S. I.
puer Sacra
operantibus
ministrare so
litus. Bolland.
5. Febr.
Sacra facientibus in monte viri,
di P. P. Cisterciensibus sedulus
ministrat. Vit. n. 3.
B. Ioannes
Cemmerius
Ord. Carthus.
Sacrista.
Lexic. 23. Iun.
Cum Pr. S. C. M.
I. A. P. exc. A. V.

E L O G I U M.

Æc immortalis Cedri gloria eſt :
Incomem non ſtare,
Sed comatam.
Stetit in perpeti Sanctitatis virore JOANNES,
Cùm vix natus, jam à virtute notus
Comem ſe exhibuit univerſis,
Illorum oculos & animos in ſe convertendo,
Suis æqualibus eminuit omnibus
In probitate nunquam minorennis.
Pro devotionis pabulo
Medullam nactus eſt Divinæ Cedri,
Sublimioribus ab Alto alitus influentiis,
Quidquid Divinum ſapit,
In ſuam convertit animam.
Vix ablactatus
Gratiâ crevit in Collactaneum Chriſti,
Gratiarum penè Frater
Vel ab ipſis enutritus gratiis.
Amuſſis arborum eſt cedrus
Nulli cedendo flexuræ
Semper in rectum collimat ;
JOANNES devio calle à virtutis via deflexit nunquam.
Ingens enim futurus Sanctus
Adhuc parvulus ſibi magno prælufit Sancto :
Nihil omnino aſpirans,

Quod

Quod odorem Sanctitatis non ſpirabat.
In cerea ætate maturus
Auguſtum explicuit ſenium omni actu,
Nè quid actum agere videretur.
Omni geſtu Divinæ Majeſtati placere geſtiebat,
Ut ardentis animi placaret deſiderium.
Placavit, quia DEO placuit;
Nempe: Cui mundus diſplicebat puero,
Illum in puriorem cæli Candidatum elegit Numen,
Et ex homine fecit in carne Angelum,
Ut ſublunaribus ſua non deeſſet Intelligentia.
Intellexit favorem Altiſſimi humilis JOANNES,
Alas proinde aſſumpſit Angelorum:
Nam Seraphinorum æmulus
Factus eſt amor alatus.
Quapropter affectu in ſublimia evectus cælorum adyta
Ad ipſam aditum meruit Divinitatem,
In infantia
Effectus Infanti VERBO penè familiaris.
Nempe: Divino Puſioni famulabatur tenerè,
Ut virtutis callem teneret in adoleſcentia,
In hac adolevit adeò,
Ut illi exolerent omnia juventutis illicia,
Quæ imbelles animos ſolent allicere quaſi quædam bellaria.
Nihil habuit adoleſcentior,
* *Pſal. 118.* * In quo corrigeret viam ſuam:
Siquidem nondum plenè facundus

Ver-


Suscitabo mihi Sacerdo-
tem fidelem, qui juxta cor
meum et animam me-
am faciet.
1. Reg. C. 2. v. 35.
S. Ioan. Brid-
lingtonensis
Can. Reg. sacri-
ficans flammis
undique circum-
datus. Sirius
10. Octob.
Sacerdotio initiandus mensem
inter pietatis et poenitentiæ opera
exigit. Vit. n. 5.
Ven. Ioannes
Thebaita So-
la Eucharia
Dominicis
sumpta vici-
tans. I. exe.
27. Febr.
Cum Pr. S. C. M.
I. A. P. exc. A. V.

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Sacerdotali Dignitate condecoratus;

GRATIOSUS

Agni Immaculati PARANYMPHUS.

SYMBOLUM: Agnus niveo vellere ſuper pyra immolandus.

LEMMA: Parem niveis ſibi moribus optat.

Vellere qui niveo fit victima Numinis Agnus,
Exoptat Myſten moribus eſſe parem.
Gratia JOANNEM Paranymphum fecerat Agni,
Moribus an niveis Myſta cupitus erat?

E L O G I U M.


Rgenteum vellus habere debuit Victima
Super pyra Domino empyrei immolanda:
Tum quòd agnum oportebat eſſe cæli Candidatum,
Quem extra viam lacteam
Religio conſecrabat Tonanti ſummo:
Cùm quòd agnus abſque macula in teſtamento veteri
Præfiguraret Agnum DEI Legis novæ.
Immaculatam ſanè hoſtiam!
Pro humani generis macula originali
Semel Patri æterno in ara crucis oblatam,
Multifariàm ſub niveo panis vellere
A veris velati ſub humanitate VERBI Miniſtris im̃olandam,
Quos ſibi optat moribus pares edule Numen:
Quia nive puriores in carne Angelos,
Ut cùm Divinæ Majeſtati Agnum litant immaculatum
Lactentis innocentiæ audiant Paranymphi.
Talem magni Conſilii Angelus fecit JOANNEM,
In quo gratia naturam vicit,
Pudicitiæ triumphô Illum pariens
In carne, ſinè carne,
Mentem cælicam in vaſe fictili.
Angelicum nempe aſſecutus eſt privilegium,
Quòd in lutea carnis argilla non timeret uri,
Cujus ignes Angelicæ nives temperabant.
Solius VERBI Incarnati paſtus deliciô,

Adeò

Adeò ab omni carne factus est alienus,
Ut quaslibet nauſearet Sirenum delicias.
Vixit Angelus ſub carnis velamine
Nullius nævi umbra comitante ſpiritum.
Nimirum: gemma Virginum ad amari æquoris ſpumam
Nunquam potuit gemere.
Odio habuit Cypridis labruſcas,
Non vernantia pudicitiæ lilia;
Siquidem Illius verecundiæ albicans rubor
Haud caſtas palliavit nives.
Non aſſequebatur natura prodigium:
Quòd in corporis pondere
JOANNES ſolo viveret ſpiritu in ſublimi.
Cælitum candicavit liliis
Virgineus in terra Hoſpes;
Parthenium omni conatu cuſtodivit pedem,
Nè offenderet in ſpinas,
Suíque cruoris purpura roſas tingeret.
Immaculatas cuſtodivit ſemitas,
Et lilia fecit illibatis ſuccedere veſtigiis,
Quæcunque formâſſet plantis.
Eluctatus in caſtæ Reipublicæ concivem,
Cæleſtem obtinuit municipatum.
Caſtitate ſancta,
Moribus niveis, operum candore
Æternum æmulabatur Sacerdotem
JESUM CHRISTUM,

 Cujus

Cujus Divinum Corpus & Sanguinem
Quoties ad aras litabat,
Toties ab æterno Patre pro ſua exauditus eſt reverentia,
Et lites inter Numen ac peccatores dirimebat
Verus Agni Immaculati Paranymphus.

CAPUT III.

Quibus mediis acquiratur Prudentia?

Prudentiam longa vita & multus rerum uſus affert.
Dionyſius Halicarnas. Lib. 8. cap. 28.

UT prudentiæ acquirendæ media Politico Afranius oſtenderet, Agellio teſte Lib. 13. cap. 8. ità loquentem induxit Prudentiam: *Uſus me genuit, mater peperit memoria.* Uſus enim verò plurimùm confert ad Reipublicæ negotia cum felicitate tractanda. Conſtat namque gubernatorem nihil magna laude dignum ſinè exercitatione ac uſu effecturum. Siquidem oraculô Plinii Lib. 26. Cap. 2. *Uſus efficaciſſimus rerum omnium Magiſter eſt.* Quapropter Henricus IV. Galliarum Rex uſum, ſeu experientiam ſuum grandem librum vocare ſolebat, cujus lectione brevi tempore plurimùm perfici poſſit. In primo igitur mox ætatis flore ad negotia animum applicuiſſe cumprimis juverit. Nam longo tempore opus eſt ad detegenda tot rerum ſtamina, qualia in publico regimine occurrunt. Quam ob cauſam ſapientiſſimè monebat Guevarra in epiſtolis, cùm ſcriberet: *non omnis Juris-Conſultus aptus ad regendum eſt; judicia Juris-Conſultis committantur, gubernatio prudentibus.* Et paulò infrà: *ex multis intelligi poteſt, quàm ſæpe do-*

ctrina


Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. Eccli. C. 21. v. 24.
Ioanes Duns vulgò Scotus Doctor Subtilis Ord. S. Franc:
Humanioribus Zazij, altioribus Pragæ absolutis creatur Canonicum et Theologiæ Doctor. Vit. n. 4.
Ven. Ioannes Leon. Cerusius
25. Februar.
Cum Pr. S. C. M.
I. A. P. exc. A. V.



ELOGIUM.


Uum in ſinum recipit cælicum rorem conchyle,
Et guttas ab alto depluas
Intrà alti gremium in gemmas maturat
Liquidum addendo pretium,
Ut ſtillæ cæleſtes ſui æſtimationem inſtillent,
Alántque in mortalium animis.
An amabò aliud JOANNES intendebat,
Cùm ſeverioribus intendendo diſciplinis
Doctoratûs Lauream adamavit?
Magnum indeptus honorem à Lauro
Eidem contulit majus gloriæ auctarium:
Qui naturam ſuperavit ingeniô,
Ingenium decoravit naturæ excellentiâ:
In alterutro nulli ſecùndus,
In utroque primus.
Siquidem uno fœderatæ nexu
In JOANNEM immigrârunt Sapientia
Cum toto Charitum concilio.
Adoravit Bohemiæ Regnum cumulata ſcientiarũ dona in uno,
Quæ per ſingula Palladia ſparſim non invenit.
Nam Pieridum æmulus non metra plectrô,
Sed plectra metiebatur gratiæ tonô.
Tullium audiit Præceptorem ore facundus,
Moribus ac virtutibus fœcundior.
Sidus Ille noctibus Atticis,

C Non

Non Atticæ Illi noctes umbra;
Sic ingenio studuit illustrando,
Ut aliorum geniis arrideret,
Ipsámque Aulam illustraret Carolinam.
Amor Sapientiæ Philosophus
Sapientis amoris in JOANNE invenit terminum;
Tam enim Illi fuit excentricum amare sapientiam,
Quàm sapere amorem.
Non solùm Stagyrites in Athenæo,
Etiam Peripateticus in stadio,
Quod non decursu,
Sed felici decurrit statione
Laureatus AA. LL. & Philosophiæ Magister.
Sacrorum Canonum Doctor,
Unum hunc sibi præfixit canonem,
Ut sacrô Jurisprudentiæ studiô consuleret omnibus,
Consiliô nemini obesset.
Hæc Illius in sacris legibus fuit novella:
Antiquare exlegem Juris naturam,
Et novæ legis gratiam in se ad maturitatem educare.
Ut Pragenæ Tripoleos erudiret Lycæa,
Laureatam illis intulit Minervam;
Ea in auditorum animos instillando,
Quæ priusquam elucidaret JOANNES,
Vix ullus capere potuit Jurisperitus.
Capitulum de Summa Trinitate adeò scitè explanavit,
Quasi Divinam Triados Majestatem vidisset sinè velo.

In

In tertium raptus eſt Cælum Paulus,
Ut terras erudiret,
Quid in Superûm Odæis traderetur.
Ænigmata retulit Orbi, illa enarrando,
Quæ eloqui non potuit Doctor gentium Silentiarius.
A ſilentio Urbi & Orbi notus JOANNES
Habitantem in Cælis Palladem Increatam
Terris fecit inquilinam:
Ità Trinitatis explanans Theorema,
Ut penè clarum fieret ſummum fidei arcanum.
Didicerunt ſub hoc Doctorum Sole
Scholares omnia dilucidè,
Illius enim præclara docendi methodo
Obſcura etiam inclaruerunt ingenia;
Et Carolina Univerſitas tantam ſibi fuiſſe additam
Stupuit claritatem!

CAPUT IV.

Otium ad Cleanthis lampadem amat, qui honorum aptatur negotiis.

TOtius naturæ univerſitas proſcribit otium, nè præſcribat ſuæ felicitati. Reſpublica otium amat, ut Viri aptentur honorum negotiis. Unde ad Cleanthis lampadem lux ſapientiæ intellectui eſt comparanda, ut bono

publi-

publico invehatur meridies. Nàm ſi cum mortuis quietè non converſetur Politicus, pacem civibus , vitam legibus, ſemitam gloriæ ſuis abſtulit promovendis honoribus. Multùm quidem praxis poteſt , quæ ſcientiam præſupponit ; hæc verò ubi deeſt , communitatis membra practicam ſuſtinebunt ruinam. Cynicus oportet ſit homo , cui dolium ſerviat pro Muſæo ; non ut è latebris allatret, aut carpat ; verùm ſubſellia occupet honoris cum Platone Regibus aſſiſtendo , ac Rempublicam adjuvando. Tot inter æmulos dexteritatem adhibere ſpecioſa eſt honoris forma ; quam tamen nemo in bona forma apprehendet abſque otioſa contemplatione. Haud aptus eſt honori publico , qui ſibi priùs in veri ſpecula imperium non præſcripſit. Non opus eſt carere agendi dexteritate , dummodo quis de ſapientia non ſentiat ſiniſtrè ad dextram gloriæ ponendus. Multos extulit actio theoriæ fœderata , qui cæterà fœdè jacuiſſent abſque otio. Suſpicit orbis literata Græciæ Numina Solones , Pythagoras &c. quos deſpiceret ; nisì ſub patriæ porticu conſediſſent diu , ut legerent meliora , utiliora edocerent. Quæcunque agenda ſunt , nemo ſuggeret , quomodo ſint gerenda, qui aciem intellectûs excultam non habet per otium. Malè frequentat Comitia , vel Sapientum ſubſellia , qui priùs ſedere neſcivit ad pulpita. Mixtæ nunc vitæ melior orbis eſt : quia non nisì ex contemplationis & actionis connubio naſcitur pulchra ſoboles honoris. Diu cogitandum , ut aliquando ad felicitatem publicam Vir ſublimetur ; cùm ſedendo tantùm fiat ſapiens ani-

anima, quæ ad publicum attollitur honoris essedum. Potiorem vitæ cursum sibi vendicat studium, qnod aulis ministros, clientibus Patronos, militaribus labaris heroas format. Nequit esse felix, qui miser ingenio illud per otium non excolit; neque merebitur aurea, qui capitis talenta negligit. Stare ad januas Curiæ illi gloriosum est, cui per Musarum amœna priùs placuit otiari. Non citiùs publicæ luci, quàm Lycæo se concedit sapiens, ut è flore scientiarum reportet fructum honoris. Respublica cupit & capit à scientiis præmissas, ut ex præmisso feliciter otio Virum ad honorata promoveat negotia, sícque in forma suam concludat felicitatem.



S. JOANNES NEPOMUCENUS

Canonica dignitate clarus,
Ad imos tamen ſe demittens;
SACERRIMUM
Eccleſiæ Metropolitanæ
SIDUS
Influxu ſuo humilia illuſtrans.

SYMBOLUM: Primæ magnitudinis ſtella è firmamento ſublunaribus influxu proficua.
LEMMA: Lucet, ſimul influit aſtrum.

Quod ſtellæ radii; JOANNI gratia præſtat:
Illa micat vulgo, nec minùs Ille micat.
Non jubar illuſtres dotes obſcurat in Illo,
Lucet ùt antè, ſacro clarus honore nitet.

ELO-

E L O G I U M.


Idus primæ magnitudinis
Primùm ſpeculatore menis oculo contemplare,
Demum grandi ſpeculare animo.
Diffundit claritatem in firmamento,
Ut Telluri infundat ſplendorem,
Suáque locupletet beneficentiâ ſoli abyſſum.
Dives lumine, influxu magnificentius
Suæ lucis non reformidat imminui majeſtatem,
Si radioſo fulgore ſe imis communicet.
Nimirum: illæſæ perennant Superûm opes,
Si cuſtodiâ tutentur lædi neſcia.
Ità ſuæ claritatis ſplendorem cuſtodivit JOANNES,
Dum ſacra Canonicatûs Metropolitani dignitate clarus,
Inter pauperum nequibat obſcurari mapalia;
In his enim evaſit illuſtrior:
Quia inter caſas ignobilis populi factus Sanctorum Civis.
Prælatus DEI domeſticus,
Divino gratiæ punicavit fulgore.
Cùm Nepomucenus tanquam ſidus D. Viti Eccleſiæ illuxit,
Altum honoris conſcendit faſtigium,
Ut haberet, unde Chriſti causâ deſcenderet,
Atque ampliùs ſplenderet humilitate.
Collactaneus nimirum eſt luci innocens candor,
Neque officit fulgoris aulæo etiam in caulis,
Quando humillima virtus tutrix illius & auctor eſt.

Vigi-

Vigilem inopum curam declaravit opere,
Solicitudinem pro his in centuplas partes dividendo;
Ab illis tamen nulla Ejus ſplendori immigravit caligo,
Sed integra perſtitit ſupellex ſerenitatis.
Splendida Joanneæ lucis majeſtas
Eodem ſemper ſplenduit ſudô,
Etiam cùm inter tuguria deſudaret.
Nempe : minui non potuit ſacri honoris lumen,
Quod nova ſemper virtute JOANNES auxit,
Et cum hominibus obſcuris agendo
Umbras conſortio proſcripſit innocenti.
Aulæ Regalis Eleemoſynarius
Intaminatis in palatio rutilabat honoribus,
Sibimet in candore auguſtæ lucis penè nullus.
Vulgi ergo adamavit Umbriam,
Et inter viles mundi animas non viluit,
Sed tanquam ſtelleum fulguravit cimelion,
Quolibet ſiderum adamante fulgidior.
Quando preſſum inediâ popellum ſublevabat,
Nullus atror maculoſus adhæſit Joanneo ſplendori,
Verùm novam diffundebat lucem,
Opes regias liberè ac liberaliter profundendo.
Quisquis igitur (eſtò egenus) æthercam expectas lucem,
Joanneo Fulgori præſta homagium ;
Hoc enim Duce
In perpetuas fulgebis æternitates.

CA-

CAPUT V.

De pietate in DEUM.

Omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt, ut DEUM cognoſcat & colat.


Lactantius Lib. 3. Inſtit. cap. 30.

VIrtutum moralium baſis audit pietas, quæ eſt rectus de DEO ſenſus, rectus in DEUM cultus. Pietati enim verò, quæ mortalium animos DEO conjungit, cæteræ virtutes facilè ſuperſtruuntur. Quapropter illius neceſſitatem ac utilitatem tam ad privatam, quàm ad Reipublicæ felicitatem intereſſe ipſi adeò gentiles agnoverunt. Eſt autem pietatis initium, ad mentem Magni Aurelii Lib. I. de Libero Arbitr. cap. 2 *de DEO optimè exiſtimare.* Nam qui rectè ſentit de Numine, ſimul Eidem ità placere ſtudet, ut non tantùm honeſtatem colat, verùm etiam pacatiſſimè, jucundiſſiméque vitam traducat. Si eo ſenſu rectè imbutus fuiſſet Sejanus, nunquam adeò inſanè in DEUM, adeò deteſtabili nequitia in genus humanum graſſatus fuiſſet. Politico igitur, quanquam Gentilis foret, illud Taciti Lib. 5. Hiſtor. cap. 8. conſtare debet: *unum eſſe regnatorem omnium DEUM*, ut honeſti amorem ſectetur. Nec verò mente ſolùm Numinis æſtimationem concipiat, ſed etiam exteriore cultu, religione inquam, Eidem exhibeat reverentiam, quæ in qualibet Republica plurimùm ad felicitatem conducebat, atque

etiamnum conducit. Unde teſtimonio Plinii de Viris Illuſtr. cap. 2. Numa Pompilius II. Rom. Rex ferum antehac Latii populum religione domuit. Nimirum illud effecit, ut quem ratio ab innata feritate non poterat, eum religio ad humanitatis officia reduceret. Ac profectò ſinè hac virtute fieri non poteſt, ut populus, communitas in officio contineatur, aut quis ſe ipſum regat. Quam ob cauſam, ùt teſtatum reliquit M. Varro, quotieſcunque Romanus cogebatur Senatus, hoc ipſum primò in quæſtionem veniebat: utrùm ea, quæ ad religionis majeſtatem faciebant, inviolatè ſervarentur? Ità nimirum vel exiſtimata religio ad felicitatem Romanorum intereſſe videbatur! Quantò magìs illa conducet, quæ vero Numini litat? Hæc verò una tantùm in Republica vigeat, ea nimirum, quæ vera eſt, atque Orthodoxa. Siquidem Virorum ſapientum intereſt Majorum inſtituta liquidæ veritatis tueri ſacris, ut non modò præſentis vitæ, verùm etiam futuræ felicitatem obtineant.



S. JO-



Cum Pr. S. C. M. I. A. P. exc. A.V.

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Obſtinatis peccatoribus pœnitentiæ lacrymas eliciens ;

PYROTECHNA DIVINUS

Conſtricta gelu vitiorum corda
In pœnitentiæ lacrymas reſolvens.

Symbolum : Sirius Alpium nives liquans in undas.

Lemma : Fervore gelata reſolvit.

Sirius Auguſtô fervens montana reſolvit
Vellera, & in properis amnibus unda tumet.
JOANNES æſtu Suadæ glaciata perurit
Pectora, & in laticem cogit abire genas.
Gutta præit, ſequitur mox altera gutta priorem,
Atque reus lacrymis diffluit oris honos.

E L O G I U M.


Umanitate velatum Numen
A regali empyrei ſolio
In Palæſtinæ ſolum deſcendens
Ipſam penè humanitatem exuit,
Cùm ejus induit lacinias.
Siquidem Princeps pacis
Principalem non geſſit curam,
Ut olea pacis inter mortales triumpharet:

Matth. 10. * *Non veni pacem mittere, ſed gladium.*

Inviſit terras, cùm non viderent obſtinatorum lumina,
Nox in ſuo curſu medium haberet,
Silentium tenerent omnia;
Et ferreo chalybe feros minatur tumultus;
Imò feroces inſinuat minas & flammas,
E Patris æterni ſinu ante Luciferum genitus
Divinus Pyrotechna:

* Luc. 12. * *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?*

Cædem ergo ſpirat,
Sed gladiô Spiritûs inferendam peccatorum Hydris;
Ut mortales verbô vitæ eruditi
Capita præcîdant vitiorum,
Et vitam habeant abundantiùs liberi à noxis capitalibus.

Ignem

Ignem ſui emittit eloquii, *
Ut liquefaciat corda,
Boreali condenſata gelu vitiorum.
Unigenitum DEI Filium
Æmulatur genitus in animarũ ſalutem JOANNES,
Non præcurſor in deſerto,
Verùm diſertus in Euangelii præconio;
Qui dum gladiô ſpiritûs eloquium acuit,
Innodatos etiam ſolvit peccatorum gordios;
Cùm Divini amoris exarſit ignibus,
Malos ignes in perverſorum animis extinxit,
Extinctos ſub pœnitentiæ cineribus tumulavit.
Alter in perorando Chryſoſtomus
Aurei Oris eloquiô
Criſim adeò fervidè vibrabat in ſcelera,
Ut irretitas facilè ab orco prædas,
Melioribus verborum pedicis implicuerit liberas,
A ſtrage liberando,
In auream filiorum DEI libertatem aſſerendo.
Ea fuit Joanneæ dictionis efficacia,
Et efficax gratia,
Ut plures quandoque converteret peccatores,
Quàm verba haberet oratio copioſa.
Audivit olim Judæa in Zachariæ filio
Vocem clamantis,
Sed loquentis per os Prophetæ Numinis
Senſa noluit intelligere inſenſata:

* Alluditur ad illud Pſ. 147 *emittet eloquiũ ſuũ, & liquefaciet ea; ſ abit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.*

 Nè

Nè cogeretur intellectum captivare in fidei obsequium,
In Agno DEI Messiam agnoscendo,
VERBI Divini
Verba vitæ ad morum emendationem sequendo.
Adeò nimirum vel ipsa Vox Increatæ Eloquentiæ
Exiguos creavit fructus
In cordibus petrâ circumcisis!
Ubi verò insonuit Suada Nepomuceni,
Omnium vinculavit corda;
Et quamvìs saxea,
Oratione tamen non ligata,
Ad pœnitentiam attraxit compedita.
Verè in gratioso JOANNIS labio,
Quilibet sacri thematis apex
Semen erat frugiferum,
Et istud fertiliùs, quàm Euangelicum:
In pessima nimirum etiam terra, spinásq; inter ac vepreta
Fructum protulit centuplum,
Perditissimos quoque ad bonam frugem animando.
Ampliùs mirêre:
Armata Divini amoris incendiô Gratiæ facundia
Peccatores gelu vitiorum constrictos
In amaras resolvit lacrymas:
Nam reorum lumina
Gratiarum aspirabant limina,
Et fœcundissimos profuderunt lacrymarum latices,
Ut per secundam post naufragium tabulam è vitiis enatarent.
Nem-

Nempe: cæleſtis Sirii fervor eluxit
In ignito JOANNIS eloquio,
Divini Pyrotechnæ,
Pyroënte Solis æterni:
Ille cryſtallinas Alpium nives liquat;
Hic rigida criminibus mortalium pectora
In pretioſos fletuum emollivit uniones
Ad immortalis vitæ emolumentum!

CAPUT VI.

Pietas Viro ardua complanat.

QUi publica ſequitur, nîl tutò aſſequitur, ubi flamma pietatis non prælucet. Non errat, qui cum DEO ambulat; orat etiam, cùm ſilet. Plus ad felicitatem Politici intereſt oratio, quàm perorandi facultas humano proſit commercio. Simpliciter ens ſimpliciſſimum agi ſecum deſiderat, ut ardua homini complanentur. Hinc dum in corde non eſt verus in DEUM ſenſus, neque ad felicitatem eſt Numinis conſenſus. Ad judicii urnam ſedens non tanti æſtimat animorum turmam; ſed per orationem ejus ſemper habet rationem, ante cujus Tribunal reddenda eſt ratio. Civilis vitæ princeps eſt fundamentum pietas, quæ omnium creaturarum Principis reverentiâ & retrahit à noxis, & ad utilia pellicit. Viderunt Sapientes glorioſa imperia, quorum tamdiu in plano majeſtas, quamdiu ſtabat pietas; ruinam paſſa, cùm dominaretur impietas. Floruit Roma, neque ardui quid-

quam

quam habuit, quando ad aram Jovis ſtatoris ſtabat Numa Pompilius, Rex ac Pontifex paradoxus; collum ſubmiſit jugo urbium Domina, dum Tarquinius ſuperbus, quia improbus, in papavere capita decuſſit Sabina. Pulſa nimirum pietate Morpheô criminum ſopitus de una crudelitate ſomniabat. Victoriis orbem peragravit Macedo maximum ipſe thauma, quòd fortitudinis portenta ſuperaret. Ubi autem Numine contempto adorari voluit ùt Jovis filius, ſagatam ſenſit Palladem ſibi adverſam, & fato præcipiti è gloriæ eſſedo in mortualem cecidit urnam, expertus Minoëm inimicum, qui minas Deorum faſtuosè intentabat. Sic nempe qui cum Superis fabulam ludit, juſtè illuditur, & in arduis planos non habet ſucceſſus. Quavis ætate felices miniſtri ipſis in aulis ſunt pietatis magiſtri; fallax non felix ingenium eſt, quod proba voluntas non manuduxerit. Impio ſapienti etiam nemo credit; in pium ſua quiſque tutò deponit. Ubi neglectus Numinis admiſit vitia, nec infortuniis fores clauſit, quæ tamdiu acceſſu prohibentur, quamdiu non receditur ab Altiſſimo. Hoc uno politicus in arduis rebus planam ſibi facit victoriæ ſpem, ſi preces ſumat pro armis, & pietate cælum expugnando publici ſtatûs facilitet negotia.



S. JOAN-

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Forti animo carcerem ingreſſus;

Magnanimus umbrarum,

&

E L O G I U M.

Aradoxum naturæ prodigium
Mori velle, ut naſcaris ;
Vitam non tanti valoris ducere,
Nisì mortis fatum ad vitam gloriæ manuducat;
Sordibus adobrui,
Ut virtutum honos non ſerpat humi.
Audendum tamen :
Quia fatis obnoxium humanis
Facit homines ad heroos virtutum auſus innoxios.
Phœnicem contemplare,
Ad ſolis intuitum verè felicem :

Inter gregem non computandus:
Quia ſui contemptor eximius.
Pigri Neronis fulmina,
Quæ à Regali bruto evibrata fuêre bruta,
Innubi excepit fronte,
Animum gerens quati neſcium.
Nempe: docuit adverſæ Fortunæ obſcurô
Virum fortem poſſe illuſtrari,
Illiúſque genio illudere, non illudi.
Fortunam proinde in carceris umbras conjectus
Evocavit in apricum,
Ut victa nôſſet, cui colluctaretur,
Et luctam coronaret luctus ſuperatæ.
Ridentem cùm nollet, ſenſit fulminantem:
Utramque contempſit.
Potuit impeti nubilô,
Non impediri à ſereno etiam in ergaſtuli umbria.
Aulâ pulſus
Patientiæ impulſum dedit,
Ut miſerias præveniret,
Quæ innocentem ſequebantur Exulem.
Compede ferreâ vinctus,
Feris pejorem vicit Tyrannum,
Et liberos retinuit animi affectus:
His inter ſqualores vinculatus
Ad thronum Divinitatis provolabat,
Cùm infractâ fulgeret tolerantiâ JOANNES in vinculis,

Lucem fugit,
Et in reorum cavernis noctem ignoravit culpæ.
Mirare à caligine prodigium nasci luminis,
A lumine umbrarum splendorem,
Quem præ Phœbi incolatu carceri fecit domesticum
Obscuræ specûs illustris inquilinus.
Inter crudeles tortorum manus,
Non torrebatur æstu vindictæ,
Sed manebat amœno vultu hilaris
Ipsam spirans amœnitatem.
Cruciatus non Illi novæ cruces,
Verùm cupiti fuêre duces ad patiendum.
In equuleo extentus
Animi servavit æquitatem:
Iniquum reputans crudelitati herbam porrigere.
Tædis & facibus
A carnificum fœce ustulatus,
Nullum admisit mentis tædium;
Tædebat tamen Illum scelus intueri,
Quod imperatâ sui corporis lanienâ
Coronatus patrabat leno manibus aliorum.
Vinci nimirum non potuit JOANNES etiam vinctus,
Nam omni sensu integerrimus,
Sensu carere videbatur in corpore,
Quem solus cruciabat amor plura patiendi!



CAPUT

CAPUT VII.

De Fortitudine.

Splendidiſſimum videtur, quod magnô animô factum eſt.

Cicero Lib. 1. de Offic.

FOrtitudinis actiones maximè ſplendent, & in admirationem, oculóſq; cadunt. Hæc enim virtus circa res maximè arduas verſatur ſervando mediocritatem in iis, quæ metum vel fiduciam animo adferre poſſunt in adeundis ac perferendis laboribus honeſtatis & publicæ utilitatis gratiâ. Cumprimis autem verſatur fortitudo circa horrorem mortis vincendum; nam oraculô Philoſophi L. 3. Ethic. cap. 6. *mors maximè rerum omnium eſt horribilis.* Quamdiu enimverò præſentem agimus vitam, ſi non actu quæpiam bona poſſidemus, ea ſaltèm ſperamus à nobis obtentum iri; nimirum adeò vel ipſos canente Poëta: *Spes alit agricolas.* Mors autem non hominem duntaxat omnibus bonis ſpoliat; verùm omnem etiam ſpem (quæ unicum cæteris in malis eſt ſolatium) mortalibus adimit quoad bona præſentis vitæ, quemadmodum dicitur: *Spes eſt in vivis, non eſt ſpes ulla ſepultis;* in hac nimirum mortalitate. Non tamen quælibet mors objectum eſt fortitudinis, ſed illa ſolùm, quæ propter honeſtam appetitur cauſam, ùt propter religionis, patriæ, libertatis, legum, &c. defenſionem; verbô: *pro lege, & grege,* juxta Sapientûm parœmiam. Unde Græci olim ac Romani maximis honoribus, præmiis & laudibus eos judicârunt eſſe dignos, qui ob aliquam ejuſmodi cauſam morte vitam comutâſſent. Terribilium autem duo ſunt genera; quæ-

dam enim dicuntur esse supra hominem, id est majora sunt, quàm ut ab humana possint natura contemni, vel sustineri, velut terræ motus, inusitatæ tempestates, &c. quæ iram DEI, publicásque calamitates denuntiant. In his fortitudo non habet locum; nam qui ea contemnunt, aut mente viduati, aut planè athei sunt. Quando tamen similia eveniunt, tali casu secundùm Philosophi sensa Lib. 3. Ethic. cap. 7. *Fortis vir ùt homo erit interritus ; timebit tamen ejusmodi mala , sed ùt oportet, & ùt ratio præscribit.* Cæterùm si hæc non metuat, quemadmodum Aristotelis testimonio neque terræmotus, neque tempestates timebantur, audax est. Alterum genus terribilium est eorum, quæ dicuntur *juxta hominem*, quæque possunt à forti viro contemni ac sustineri, ùt sunt labores, molestiæ, dolores, &c. Siquidem ùt habet Latii sermonis Alpha Lib. 3. de fine : *qui magno animo atque forti est : omnia quæ cadere in hominem possunt, despicit & pro nihilo putat.* Idem censet Romanus Sapiens L. 3. Naturalium QQ. scribit enim: *hoc est præcipuum, posse lætô animô adversa tolerare ; quidquid acciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere.* Est autem in periculis fortiter tolerandis causa præcipuè trutinanda. Horum [illegible] est veri Numinis gloria, virtutum integritas, a[illegible]nium cæteræ, quarum suprà meminimus. Ubi enim hæ patrocinantur, fortis animi est proprium etiam sanguinem inconnivis contemplari oculis. Erigendum itaque inter adversa pectus ; imò *Audendum tibi aliquid, si vis esse aliquid*, ajebat Propertius ; quin & Juvenalis Satyr. I. *Aude aliquid brevibus Gyaris, aut carcere dignum, si vis esse aliquis.*

S. JO-

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Ob illæsum Sacramenti pœnitentiæ sigillũ actus in Moldavam præceps;

TRANSLATUS

Ad cælestis gloriæ Zodiacum

PISCIS.

SYMBOLUM: Piscis in flumen conjectus.
LEMMA: Dabit unda vigorem.

Pinnigero nimbosa nocent nîl flumina pisci,
Cæruleis vivit contumulatus aquis.
JOANNEM mutum fecêre silentia piscem,
Civi non potis est unda nocere suo.
Municipem meliore novum replet unda vigore,
Æthereísque facit piscibus esse parem.

ELO-

ELOGIUM.


Rbis ſilete oracula,
Cùm piſces muti ſibi elogia depoſcunt
Silentio vocali!
Taciturni pinnis ſulcant flumina,
Ut ad pinnacula firmamenti,
Ad cælorum transferantur lumina:
Incolæ fluentorum è vitreis undarum ſedibus,
Ad fluidum ſupernæ regionis incolatum.
Qualem JOANNES meruit Silentiarius,
Præceps in Moldavam actus,
Quòd præcipitare nollet in violando Sacramenti pœnitentiæ
Sigillo.
Appoſuit ſigillum ori,
Nè in Regias aures deponeret arcana;
Probè gnarus bonum eſſe:
Regis æterni Sacramentum abſcondere.
Placuit mutus ſalienti aquæ in vitam Chriſto,
Unde vitam gloriæ hauſit inter undas:
Verè piſcis ad cæli zodiacum translatus.
Certabant aquæ pro JOANNE,
JOANNES pro fluentis contendebat;
Illius enim conſortiô fluebant vividæ,
Ceu è fontibus vitæ ſcaturirent.
Nemo tunc potuit Moldavam piſcari in turbido,
Cùm in ſerena fontis ſui cryſtallo
Gratiam haberet turbæ natatilium ſociatam.

Stupuit

Stupuit innocens Nerei aula
Suo natare in domicilio innocuum cæli Civem.
Sponte igitur adnatavit ad JOANNEM
Pinnis testificans Pæana,
Quòd sua numeraret in penu Gratiam velificantem.
Novam Nereides miratæ sunt Confluentiam
Non cetis gravidam
Sed gratioso cætu exundantem.
Attonitæ rei novitate steterunt undæ,
Haud Israëlitici ducis imperiô,
Vel portentosâ percussæ virgâ;
Verùm habitô ex arena consiliô
Ob coactum muti gregis concilium.
Portentum mirêre
Fluctuum liquidô firmatum testimoniô
In ipso fluxu hærentium!
Tantô videlicet dignus erat volubilis elementi thaumate,
Qui firma voluntate sacri corporis cymbam
Fluentis maluit committere,
Quàm audita in pœnitentiæ tribunali arcana
Pœnitendô sacrilegiô
Sacrilegæ concredere Majestati.
Mutus verè piscis in fluctibus salo amicis:
Prodigiosæ metaphoræ privilegiô
In crystallinum empyrei evectus solium;
Ubi in gloria Sanctorum
Suæ loquitur Taciturnitatis gloriam.

F CA-

CAPUT VIII.

Verúmne illud Menandri apud Stobæum Sermone 3.

Famulatur omne, quidquid est, prudentiæ.

Cùm sæpenumero Viri in Republica prudentissimi, atq; ad res præclarè gerendas accomodatissimi quamvìs omnia, fortunam tamen sibi non habuêre famulantē; meritò in dubium vocari potest: an, quemadmodū omnia, sic etiam fortuna prudentibus famuletur? Ità profectò evenire judicandum est; nam licèt prudentes Viri adversos experti sint casus; hi tamen ad virtutis incrementum, adeoq; sumām felicitatem iis profuêre. Illorū enim prudentia facultas erat in sinistris etiā fatis inveniendi felicitatis instrumenta. Quamobrem Philosophi prudentiæ ministram esse voluerunt fortunā, juxta metrum Plauti Trinū: 83. *Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi.* Sumit autē hoc loco princeps Comicorum sapientem virum pro prudente. In eandē sententiam loquitur Cicero, in Paradoxis enim inquit: *nec est ulla res, quæ plùs apud prudentem polleat, quàm ipsius voluntas atq; judicium; cui quidem etiam, quæ vim maximā habere dicitur, fortuna ipsa cedit, sicut sapiens Poëta dixit: suis ea cuiq; fingitur moribus.* Quod ipsū etiam affirmat Appius in Sallustiana ad Cæsarem oratione, dum ait: *fabrum suæ esse quemque fortunæ.* In vanum igitur mala omnia ad crimen fortunæ relegantur, cùm nemo nisì suâ culpâ diu doleat. Huc providè spectabat, huc sua referebat omnia Suetonius Paulinus, cui cauta potiùs consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placebant. Hoc principium si observet Ethicus, illud Sophoclis Antig. v. 5. à fine, verum judicabit: *Longè prudentia felicitatis primas tenet.* Siquidem suffragante Polybio Lib. 3. Histor. *qui in aliquem casum inciderit, si id animosè fortitèrque* (ad leges prudentiæ) *tulerit, plerumque fortunam suam in melius mutat.*

S. JOAN-



Cum Pr. S. C. M. I. A. P. exc. A. V.

S. JOANNES NEPOMUCENUS

In Moldavæ undis ſiderum coronâ redimitus;

FULGIDIOR

E fluentis Moldavæ

EMERGENS

PHOEBUS.

SYMBOLUM: Sol ab undis emergens.
LEMMA: Gignit meliorem Moldava Phœbum.

Eois veniens Titan redivivus ab undis,
  Fulgida de fluidis lumina ſumit aquis.
Fulgidior tamen eſt, merſit qui flumine vitam
  JOANNES: majus ſumit ab axe jubar.

E L O G I U M.


OANNES in flumine
A Superis coronatur lumine cælico,
Floridum nomen incendii obtinet à Majo,
Argenteis firmamenti floribus redimitum
Gratiosum Luminare majus!
Nimirum: illustres animæ etiam post fata
Ad fulgorem enascuntur,
Si in morte magìs incandescant amore Numinis,
Quàm frigida exæstuet Tyrannis.
Excanduit furente igni in clarum Athletam
Fumosus Czechiæ Mulciber;
Sed Gratiam injecit Moldavæ
Prodigiosis illustratam sideribus,
Quæ ipsa adeò frontis lumina spectatorum siderârunt.
Meditabatur redimitus cidari regiâ piceatus Sterops
Obscurum in fluctibus crystallinis funus;
Verùm undæ quinis inclaruerunt empyrei nitedulis,
Ut inter humidæ noctis umbras
Illuminatæ niterent Martyris exuviæ.
Pugnantes videlicet ignibus aquæ
Amicum inierunt fœdus,
Ut fœdè in fluminis vortices præceps actus Pugil
Nullum pateretur gloriæ naufragium.
Nempe: ingratum se fore autumabat aquæ elementum,
Si ad Illius claritudinem augendam

Igneas

Igneas non admitteret cælestis Regiæ tædas,
Qui tædas contempsit nuptiales,
Atque Vestalis Virgo vivus ac moriens
Parthenio in conclavi ignem Divinæ charitatis perpetuò alebat.
Latere non debuit à morte Cimmeriis in umbris
Illustris in partu filius lucis JOANNES:
Unde empyreum clari ortûs memor
Eidem quoque in occasu triumphales accendit pyropos,
Phaëtontem fabula jurâsset natare in Pado,
Aut Vulcani jugales tædas sociari Doridi,
Adeò ignitus ab undis emersit NEPOMUCENUS.
Fluctus Moldavæ non erant Tripoli ad luctum,
Cùm purpurato Luctatori fuerunt fons summi honoris,
Ex quo ceu Phœbus fulgidior enasceretur:
Clarissimus propria virtutum luce,
Noctilucâ siderum pompâ clarior.
Coronata nimirum egit fontinalia,
Quem coronâ Martyrii illustrem
Limpidissima cæli coronabant funalia.

CAPUT IX.

Durare sub duris fortem illustrat animum.

NOn reluctando, sed fortiter adversitatũ pugnas ferendo, ærumnas animi minuit Ethicus. Cùm ad officia Reipublicæ cereus manet, obdurescat in adversis ferreus, & quælibet ferat mente heroica, nè feriatur ampliùs. Fortis indoles sorti suæ indolet, dum nihil ardui sortitur, quod suo doleat genio, ut Cy-

nicum imitetur in dolio. Matura virtute opus habet Politicus, ut in ſilentio poſſit ferre multa, ſuámq; loquatur ipſo opere fortitudinem. Mala excepta molliter evadunt mellea, multóſque in publico aſſultus eludit, qui ſiniſteriori inſultat fortunæ. Sapiens ità læditur ab altero, ut ſe illæſum judicet, vel non animadvertat læſum, neque illius cor intentata vulnera, ſed præcordia vulnerent injuriantis. Turbatus adverſis dolorem ſibi, cachinnos excitat æmulis, & geminum malum eſt, malum ferre non poſſe. Non attingat Rempublicam, qui tangi reformidat; nequit enim aſſurgere in altum, qui in calamitatum myricis animo cadit: quia pro magnitudine dignitatis creſcit moles adverſitatum. Qui multa novit tolerare, ſibi difficultatem patiendi tollit; at verò qui adverſis cedit, non modò ab aliis cæditur, ſed magìs cædit ſeipſum. Fortis animus etiam obſecundat contrariis non impugnando, aſt impetus inimicorum patientiâ expugnando. Vir non eſt, qui repugnat in omnibus, & nihil ſilentiô, ſed linguæ jaculô retundit. Splendida non appetat, quem nemo impetit; publica enim luce indignus eſt, cujus virile robur in ærumnis non elucet. Per hunc non ſtabit commune bonum, qui domeſticô ſibi linguæ vitiô ſuccumbit adverſanti. Malis non cedere, ſed contraniti audentiùs ad gloriæ Appiam provehit. Fortis & conſtans inter anguſtias frontem explicat auguſtam; inter graves animi diſguſtus ventura præguſtat ſolamina, merétque laudem, quòd inter caſus ſiniſtros non mœreat, verùm dextimè infractus ſtet, omníque fato ſibi conſtet, ut immobilis animi gloriam orbis admiretur!

S. JO.



S. Ioan. Chry=
sostomus exi=
lio mortuus
Constantino=
poli in hono=
rificentissimè
translatus.
27. Ian.

*Corpus Ioannis, venerationi popu=
li à Cæsare ereptum, et absconsum
cœlesti odore proditur, et ad S. Vi=
ti honorificè sepelitur.*
Vit. n. 10.

B. Ioanna
Ord. Camald.
campanis in
morte sponte
compulsanti=
bus honorificè
sepulta.
Lec. 16. Ian.

Cum Pr. S.C.M.   I. A. P. exc. A.V.



S. JOANNES NEPOMUCENUS

A morte ſecundo Moldavą ponè templum Sanctæ Crucis appellens;

Secura in portu

Firmante Crucis Divinæ Anchorâ

CELOX.

SYMBOLUM: Navis in anchora ſalutem reperiens.

LEMMA: Facit anchora tutam.

Inter turbati commotas æquoris undas
Salvat fluctivagas anchora navis opes.
Sed cùm JOANNIS ſacra flumine membra vehuntur,
Sola crucis tutas anchora præſtat opes.

ELO-

ELOGIUM.

E vitreos inter fluctuum montes
Malô provisa malè vadat celox ;
Aut turbineas inter furentis oceani procellas
Malo acta turbine in abyssum deruat,
Spem jacit in anchora,
Quæ ab Archithalasso jacta in salum,
Jactam à viatoribus pelagi Fortunæ aleam
Firmat extra Telluris firmamentum.
Quod navi inter procellosos Neptuni vortices anchora,
Hoc JOANNI in fluctibus Moldavæ fluitanti
Crux Divina ;
Hæc enim gloriosi Athletæ exuvias
Secundo flumine defluas
Obviis excipit ulnis,
Dum in portu firmat ponè sacrum sibi Odæum,
Nè sinistro lapsu erroneis aliò fluentis deportentur.
Nempe : in tranquillo navigare debuit cœrulo
Corridentibus Etesiis temperato,
Qui cælum prætulit obryzis Aulæ cælaturis,
Et maluit celare noxas Reginæ
Ut innoxius in undas fluminis demersus
Ad amplexandam emergeret crucem Domini.
Per rubrum amarissimæ passionis mare
Theander evehi debuit in crucis lignum,
Quod naufrago esset Arca mundo,

Ut

Ut originis noxâ merſum genus humanum,
Ad æternæ beatitudinis portum proveheretur:
Gratia ſuam vitæ Liburnicam
Bohemiæ Scironi commiſit,
Ut limpidiſſimis concreditam aquis faceret Martyriô purpureā,
Quæ ad ſalvificam crucem enataret ſalva.
Decuit nempe JOANNIS ratem non ſalo confidi,
Sed ſolis Moldavæ undis,
Ut ſecundo illarum fluxu ad lignum vitæ deflueret,
Et triumphale Chriſti patientis trophæum,
Deſerto vitæ portu,
In littore ſalutaret.
Accine Muſa feſtivum celeuſma!
Gratiæ cymba non ponti fluctibus innatans,
Sed de ponte Prageno,
Quaſi è portu in fluvium ſolvens,
Fortunatam tenet Sanctæ Crucis Inſulam.
Non illi grave accidit fluctibus obrui,
Aut procellis gravari,
Quam Zephyrus amoris provexit;
Non ut alieno in orbe pretium Gangis aut Pactoli,
Verùm domeſticis in oris illam reperiret arborem,
In qua pependit humanæ ſalutis pretium.
Non potuit naufragari celox gratiæ,
Quæ celerrimum direxit curſum ad ſalutare lignum,
Et felici decurſu ibi contraxit vela,
Ubi explicata comperit vexilla Regis,

Fulsit-

Fulsítque Crucis myſterium.
Eò ſponte adnatavit velificans,
Ut emenſo flumine conſiſteret ad fontem ſalutis,
Et applaudente cælo Tritone
Secundè curſum conſum̃aret.

CAPUT X.

De Temperantia.

In temperantia cernitur maximè ac ſpectatur propriè decorum. Cicero Lib. 1. de Offic.

TEmperantia ſecundùm Philoſophi ſenſa Lib. 3. Ethic. cap. 10. eſt moderatrix appetitûs concupiſcibilis, & quædam *mediocritas circa voluptates*, aut quemadmodum ait Marcus Tullius Lib. 2. de fine: *moderatio cupiditatum rationi obediens.* Hæc ergo virtus dominatum exercet in voluptates, ſuperfluas nimirum faſtidiendo, neceſſariis autem obſecundando, quantùm recta ratio ſuadet. Voluptates verò aliæ ſunt *naturales*, quibus homo naturaliter afficitur, utì eſt voluptas cibi & potûs. Aliæ ſunt *accerſitæ*, quæ non à natura, verùm à ſiniſtra affectione, morbo, vel propria voluntate appetuntur, vocantur à Cicerone Lib. 1. de fine: *inanes.* Circa naturales voluptates unô ferè ſolùm modô ab homine peccatur videlicet per exceſſum, quando v. g. plus cibi vel potûs aſſumit, quàm natura poſtulet. *Unde gulæ deditus quidam Phyloxenus Eryxius*, inquit Ariſtoteles Lib. 3. Ethic. cap. 10. *guttur*

ſibi

ſibi longius gruis collo dari optat; quippe nimiô plùs dapibus oble-ctabatur. Munus temperantiæ primarium eſt in coërcendis voluptatibus accerſitis verſari, nempe in moderata abſentium expetitione, & præſentium fruitione. Temperans enim, teſte Philoſopho hìc c. 11 *appetit tantummodo jucunda, quæ vel ad ſanitatem, vel ad bonam habitudinem faciunt.* Non vetat proinde virtus temperantiæ alimenta, vel quaſcunque alias voluptates, quæ neceſſitas aut utilitas exigit, eorundem tamen abuſum prohibet, quem ſuadet voluptas. Damnat Sardanapali luxum, lauta Sybaritarum convivia, pompoſa Crœſi ſympoſia, pro quibus univerſæ vix non regiones ſymbolam contulerunt. Ad ſimilia verò allicit oppoſita huic virtuti intemperantia, & vel ideò magìs reprehendenda eſt in Politico, quàm timor, ſiquidem illô magìs eſt voluntaria. Intemperans enim ſciens, ultróque volens agit propter voluptatem, ad quam naturaliter omnes ſunt procliviores; timidus verò terrore ac metu periculi perturbatum habet animum, adeóque videtur aliquomodo invitus aliter, quàm propoſuerat, agere; illiúſq; actiones, quoniam cum dolore ſunt conjunctæ, non videntur omnino à voluntate proficiſci. Inſuper faciliùs intemperans, ac minore periculo, quin magnô etiam commodô ſuô ab illicitis voluptatibus ſibi temperare, quàm timidus à ſuis abſtinere poteſt actionibus.

* * *
* *

S. JOANNES NEPOMUCENUS

In Ecclesia Sanctæ Crucis odoris fragrantiam diffundens;

Plantata in domo Domini

OLIVA

Latè spargens odoris fragrantiam.

SYMBOLUM : Oliva potentem diffundens odorem.

LEMMA : Prodit odor virtutis opes.

Dum viret, ambrosios diffundit odoris honores,
Et redolere facit mitis Oliva Notos.
JOANNES post fata fragrans excedit olivam;
Ille polum redolet, spirat oliva solum.

ELO-

E L O G I U M.

Oc natura oleæ ſcripſit encomium:
Quòd ſalſis nutrita undis refloreſcat in virorem,
Cùm aliæ vix roris ambroſiâ.
Hoc JOANNI cælicus favor contulit privilegium,
Quòd Moldavæ undis tumulatus
Reviruerit in tumulo ad odorem:
Non ſpecioſa in campis,
Sed plantata in Domo Domini Olea,
Quæ pro molli pratorum byſſo
Induratã ſepulchri in Eccleſia Sanctæ Crucis amavit ſcabritiẽ.
Cruci nimirum, ligno ſalutis,
Vitæ arbori,
Quam olim in montis Golgothæi arduo locavit Solyma;
Junxit ſe oliva, nè ſtaret ſola.
In vanum trabeatus Bohemiæ Buſiris,
Cædem gratioſæ intulit oleæ:
Nam immota hæc Cæſarum arbor
Cæſa triumphavit;
Non enim ceſſit morti triumphum,
Sed emanavit odorem ſuavitatis.
Adhuc olivarum novella,
Jam matura in vere,
Suaves dedit patientiæ fructus ante Autumnum.
Divinus nempe poſt glorioſam anaſthaſin Olitor,
Qui in cruce oleam pacis dedit mundo;

Illam ſuo in oliveto arte locavit plantariâ,
Ut planta pacis olfactum recrearet ſuaviolentiâ.
In fumum ergo abierunt callida coronatæ Tyrannidis conſilia,
Quæ noctu illatam purpurato Pugili necem,
Latere voluerunt.
JOANNES enim bonus odor Chriſti
Occultari non potuit etiam tumulatus;
Verùm odoris diffudit affluentiam,
Ut ad ſacra ſui corporis lipſana Tripolis conflueret Pragena.
Inter obſcuræ noctis umbras
Immerſit undis Bubo indomitus,
Chriſtianæ virtutis olivum redolentem Athletam;
Sed aquis non diſperſit,
Verùm ampliavit odoris ſuffimen;
Quandoquidem nunquam ſuaviùs herbeſcentium plantarum
Redolent funalia,
Quàm dum igne incaleſcunt.
Et JOANNES gratiore nunquam odore fragravit,
Quàm cùm Divina charitate flagrans
In flumine martyrium conſumavit:
Et ab undis translatus in urnam
Dimanavit in funere Thymiama,
Minimè funeſtum:
Quia omnium florum gratiis odore gratioſius.
Argentea Telluris ſidera,
Quæ inter hortenſes areolas non exarent,
Sed lactea ſuavitate hortorum exornant delicias,
Vicit

Vicit ipſam redolendo empyrei puritatem:
Cærulo colore æmula cælo ſoli Phœnomena violas,
Quæ JOANNI epomidem tinxerunt Philoſopham,
Humilitatis expirans fragrantiam ſuperavit.
Quidquid demum odoris Elyſii adorabant Campi
In hortorum Helenis ;
Quidquid penſilia Semiramidis dimanabant viridaria,
Omne ſuâ antecelluit ſuaviolentiâ.
Ipſam adeò non puduit Reginam florum
Ut ſuâ verecundiam proderet purpurâ,
Quòd odoris gratiâ
Acta ſit in triumphum à JOANNE purpurato,
Cui tumulo ancillari debuit pediſequa.

CAPUT XI.

Digniórne Republica voluptatis, an iræ Victor ?

NIhil æquè ambiguum videtur, atque præſens enodare problema. Siquidem, qui iram vincit, jugem de voluptate palmam obtinet ; nemo enim vindictæ libidinem ſuperat, nisì unà individuæ illius comiti voluptæ frænos injiciat; cùm amico nexu ità ambæ fœderentur, ut admiſsô unius imperiô alteram dominari nullus inficietur. Quid enim ira? ad mentem Ciceronis Tuſculanarum QQ. 4. eſt *Libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuriâ.* Et quis amabò appetit punire alterum, ſi id à ſe conſecutum iri non ſperet, ac indè Philo-
ſophi

ſophi ſuffragiô Lib. 7. Ethic. cap. 6. Voluptatem animo capiat. Nam eô pactô voluptas canente Homero:

- - - - melle liquenti
Dulcior, humano ſuccenſa in pectore gliſcit.

Ex quo rectè conſequitur: individuam iræ comitem eſſe voluptatem, quíque unius eſt domitor, alterius victor negari non poteſt. Quòd ſi tamen (prout in præſens oportet) de illa ſermo ſit voluptate, quæ nullatenus iræ commiſcetur, éſtque illa animi peſtis, cujus venenum tam privatæ cuilibet perſonæ, quàm integris inimicatur populorum communitatibus; Hanc, ajo, peſtem qui ſupplantat, eum nullus ambigere poſſet Republica præ alio digniorem. Præcipuè ſi tantam domuiſſet iram, quanta fuit Athenienſis illius Timonis apud Plutarchum in Marci Antonii vita; Hic enim toti humano generi, ipſíſque adeò Diis iraſci videbatur. Unde factum, ut à morte per Calimachum Poëtam ſequenti verſu nobilitaretur:

Hìc oſor jaceo Timon hominúmque Deûmque.

Quin imò ipſe ſibimet vivus, quamvìs vitali luce indigniſſimus, hujuſmodi concinnaverat epitaphium:

Hìc ſum poſt vitam, miſerámque, inopémque ſepultus;
Nomen nè quæras; Diî, lector, te malè perdant.

At enim, ùt ùt ejuſmodi fatalis iræ domitor quiſpiam foret; rectiùs tamen illi major in publico debetur dignitas, qui de voluptate agit triumphum; hoc namque animi vitium & in Viro turpius, & grandiore vincitur arduitate. Ira enim juxta

ta Philoſophum 7. Ethic. cap. 6. aliquomodo rationem ſequitur, ac magìs naturale eſt vitium; qua etiam de cauſa non tantum animo affert dedecus, neque tantam vincendi habet difficultatem. Quippe luſu Venuſini: *ira furor brevis eſt;* cui eleganter colludit Publius Mimus dicendo: *bonos apud viros citò moritur iracundia*; At verò voluptatis cupido, quæ indita eſt homini à natura, exerceri, explerique incipit nobis vixdum natis, adeoque Philoſophi ſuffragiô frequentatione operis ſic augetur, ut ejus habitum extirpare difficillimum ſit, eapropter longè difficilior ejus eſt victoria. Inſuper iræ dediti non tantùm Rebuspublicis nocuêre, quantùm voluptatis mancipia. Plùs certè Carthaginenſibus Hannibalis obfuit voluptas, quàm concepta in Romanos ira profuerit ad boni publici incolumitatem. Hæc enim ipſas emollivit Alpes, ut apertam haberent Pœni viam ad triumphos. Illa verò ad Cannas victorioſis limitem poſuit armis, quò ſuos diffiderent armos ſupponere, qui nimiùm fidebant ſibi. Ratum proinde manet: illum publicô magè dignum commodô, qui dum voluptatem edomat, ſibimet iraſcitur, nè communi bono inimicus cenſeatur.



S. JOANNES
NEPOMUCENUS
In Metropolitana Divi Viti Ecclesia tumulatus;
INDIVIDUUS
Candidati Martyrum Exercitûs quoad sepulturæ locum
COMES.

SYMBOLUM: Agnus ovili redditus.
LEMMA: Veteri lætatur asylô.

Redditus amisso balans lætatur ovili,
Cùm gregis innocui gaudeat esse comes.
JOANNES superis ovibus se reddit Achatem,
Cælicolûmque petit sacra sepulchra comes.

ELO-

ELOGIUM.


OANNES à prætexta
Evocatus ad martyrii purpuram,
Post fata non aliò aspiravit:
Quàm ut candidati Martyrum exercitûs,
Non jam Candidatus,
Verùm Comes fieret individuus,
Triumphantium nempe Christi Pugilum Achates fidissimus.
In Ecclesia Sanctæ Crucis loculô reconditus
Pacificam cepit possessionem,
Non requievit in pace etiam tumulatus:
Quia licèt Regem Martyrum amaret in ligno patientem,
sua tamen lipsana non est passus,
Ut sacrato Dominicæ Cruci affigerentur loco,
Ibidem tumulata,
Ubi non gloriæ tumulum,
Sed gloriosum triumphi laureâ Odæum
Suæ duntaxat concessum voluit Crucis Aræ
Martyrum Porphyrogenitus Theander.
Subjectionis proinde figurâ usus JOANNES,
Cùm in vita humilitatem adamaret summè,
A morte fastum non prensavit;
Nam ad thronum patientis Domini cubare noluit,
Sed humilis in Martyrio Crucifixi Comes
Primatum tenere voluit Crucem,
Ut sacratum sibi locum obtineret sola,

 Quæ

Quæ una Primitias dormientium ſuô excepit thalamô.
Divelli ergo cupiit ab Eccleſia Sanctæ Crucis,
Non ſeparari à Chriſto :
Cùm ambiret in Illorum eſſe comitatu ,
Qui tanquam oves ad occiſionem ducti
Jam ſinè ambitu purpurati
Stant ante thronum laureis redimiti,
Apocal. 7. c. Poſteaquam *laverunt ſtolas ſuas,*
Et dealbaverunt eas in ſanguine Agni.
Horum veſtigia preſſit JOANNES vivus ,
Et Illos in ſe ad vivum expreſſit:
* Iſaiæ 53. c. Nam* *ſicut agnus coram tondente ſe, ſinè voce ,*
Sic non aperuit os ſunm,
Factus victima ſilentii ;
Eadem ſequi voluit à morte comes pediſequus ;
Cùm ſepeliri deſideraret in Metropolitana Divi Viti Eccleſia
Multis SS. Martyrum ſepulchris divite,
Ut nimirum Agnus,
Inter occiſas pro fide Divina Chriſti oves
Pulchrô gloriæ ovaret tumulô.
Fidelis verè Achates!
Nam à laureatis cedere noluit Athletis,
Etiam cùm fatis ceſſit,
Et in libitinæ conceſſit urnam.
Illos aura vitali fruens
Duliæ Cultu
Colebat non invitus;

Ad

Ad triumphales Eorundem coronas invitatus,
Sequi elegit vitâ functus:
Tumulari cupiens in Basilica S. Viti,
In qua purpurati Reges

S. WENCESLAUS
&
S. SIGISMUNDUS

Mundo demortui,
Sacras sui corporis locari voluerunt exuvias,
Cùm martyriô donati terrenas exuerunt purpuras,
Cælicam induerunt Majestatem
Regni Cœlorum facti Correges.
Arripe nunc stylum Musa,
Et tumulo tumultuario tunc opere instructo
Silentiosa insculpe:
Hìc jacet Gratia, Cultrix Martyrum in vita,
In morte Heroum Christi pedisequa:
Certantes secuta ad luctam,
Ad cœlestem coronam laureatos Victores.
Jacere noluit in Ecclesia S. Crucis,
Nè triumpho Regis gloriæ præjudicaret;
Vel certè judicaretur à Martyribus aliena,
Quæ semper mansit eadem:
Quia Illorum usque ad tumulum Comes fidissima!

CAPUT XII.

De Liberalitate.

Largitas maximè charos facit.

Boëtius Lib. 2. de Consolat.

Liberalitas ad mentem Philosophi Lib. 4. Ethic. cap. I. est: *mediocritas circa pecunias dandas; nam liberalis dabit propter honestatem, & rectè, quibus oportet, & quando oportet.* Complectitur autem nomine pecuniæ Aristoteles omne illud, cujus æstimationem pecuniâ & nummô metiri solemus. Rectè autem animadvertunt Sapientissimi Virorum nomenclaturâ pecuniæ res sacras non comprehendi, pretiô enim æstimari nequeunt. Unde etiam è sacris rebus nemini licet esse liberalem; fas tamen est misericordem esse pauperibus eleemosynâ subveniendo. Liberalitatis officium est rectus facultatum usus, qui potiùs versatur in dando, quàm in accipiendo, vel custodiendo. Nàm qui rem ab alio accipit, vel custodit, aut servat suam, non tam facultatibus uti, quàm illas possidere videtur, inquit Aristoteles hìc; In tali enimverò acceptione, ac retentione cernitur possessio, non itèm usus. In dando igitur elucet propriè liberalitatis honestas; quia cùm virtutis proprium sit bene mereri, facere, aliis prodesse, ac beneficium conferre, quàm illud accipere; etiam liberalitatis (quæ dubio procul virtus est) erit magìs pro-

proprium

prium dare, quàm accipere. Unde ejuſmodi cenſentur liberales, qui citra nocumentum rei familiaris manibus apertis beneficia in alios derivant, eáque propter omnibus fiunt gratiſſimi oraculô Melliflui Mediolanenſium Præſulis, qui Lib. I. de officiis cap. 28 inquit: *Juſtitia excellentior virtus videtur, liberalitas verò gratior. Sed amatur & diligitur liberalitas, non quòd non accipit, ſed quòd dat.* Illos tamen ab hac virtute pronuntiamus exules, qui Tullio teſte *aſoti* abliguriunt patrimonia in luxum liberales; quemadmodum M. Livius domui ſuæ conſuluit peſſimè; cùm enim per luxum dilapidâſſet omnia; inſipientiæ demum ſuæ jocando illudens ajebat: Se nihil cuiquam reliquiſſe præter cælum & cœnum. Dignus profectò ſcena in amphitheatro cœni exhibenda!



S. JO-

S. JOANNES NEPOMUCENUS

In tumulo cratibus deauratis communitus;

NOBILISSIMUM

Metropolitani Gazophylacii

MARGARITUM.

SYMBOLUM : Unio aurea in ciſta reconditus.
LEMMA : Pretioſo dignus honore.

Aſſolet aurata condi pretioſus in arca
Unio, cujus opes aurea ſepta merent.
Eſt margaritô JOANNES carior omni,
Et ſacras auget principis Ædis opes.
Ergo Tagi croceô fulgentia ſepta metallô
Circumpôſta meret, nè violetur honor.

ELO-



Cum Pr. S. C. M.

I. A. P. exc. A. V.

ELOGIUM.

Orem felicitatis delibavit JOANNES in aurora,
In vitæ veſpera omnes hauſit cœli gratias,
Quæ in pretioſum coaluêre margaritum,
Et in tumulo pretium fulgoris inaurati
Non tumulârunt, ſed auxerunt.
Inexhauſta videlicet eſt Numinis œconomia,
Quæ gratiarum Gemmæ tantum contulit ſplendorem,
Ut etiam intrà ſepulchri umbras
In principe Regni Odeo
Claritate tanquam Princeps unionum promicaret.
Sacris lipſanorum opibus divina ope
Metropolitanum dives erat gazophylacium;
Illius divitias cumulavit corpus JOANNEUM
Martyrum gremio incorporatum,
Ut cæli gazas ſerenitate ſua illuſtraret ampliùs.
JOANNEA lux merſa veſpilloniæ
Non potuit emori,
Cùm ſandapila eidem deſerviret in cunas lucidi partûs.
Humum nactus in funeris latibulum JOANNES,
Non latuit humatus,
Sed claritudinem hamavit unionis,
Et Regalem Principum Principis illuſtravit domum.
Rutilabat è tumba fulgorem majeſtatis;
Auguſtum fecit auguſtale Numinis Odeum
E ſepulchreti anguſtiis radios gloriæ evibrando.

Inter ſacra Martyrum cimelia,
In ipſo ſepulchralis capuli Cimmerio,
Non poſtremô eminuit lucis officiô,
Et principem penè obtinuit locum,
Sed ad quem merita provexerunt
Non nisì luminis claritate.
Urna captus mortuali,
Ut Gemmæ primæva lux accederet genethliorum,
Cœpit rutilare in cineris ſolo:
Unde quò ſoli maneret fulgoris ac pretii honor,
Includi debuit quaſi coronæ:
Cratibus nempe muniri deauratis poſt fata,
Qui Codris in vita eleemoſynam impertiit,
Et tempeſtate gemmea
Imbrem profudit aureum in egenos.
Fulgida Pactoli dona diſpergendo
Sacram abjecit auri famem,
Non Philoſophus,
Verùm Apoſtolicus Crates.
Meritò itaque ditari debuit à morte,
Et Peruanô circumcingi obryzô crates deaurante,
Qui velut gemma orientalis exeruit lucis prodigia,
Deauravit univerſa.
Quàm glorioſum gratiæ Sepulchrum!
In quo dum recumbit, dormiens vigilat,
Et ſimul excubat,
Fulgidis licèt circumvallata excubiis,

Quæ

Quæ non ſunt valla luminis
Neque ſummæ lucis cancellant gloriam:
Quia ſplendor ac pretium tumulati Unionis
proſpicit per cancellos.

CAPUT XIII.

Melióirne in Republica prodigus: an avarus?

QUanquam nulla communi bono vitia prodeſſe poſſint; ad publicæ tamen ſalutis commodum tantò quædam interſunt ampliùs, quantò alia majus cauſare ſolent detrimentum. Inter quæ profectò magìs numeranda venit avaritia, quàm prodigentia; Quandoquidem avarus plura felicitati publicæ adfert incommoda, quàm poſſit attentare prodigus. Hic enimverò faciliùs ad liberalitatis mediocritatem accedit, cùm libenter det, nec facilè accipiat, quæ partes etiam ſunt liberalitatis; ille autem exuperat modum; tempus, locúmque non intuetur, perſonarum non habet delectum, cæteráſque negligit circumſtantias, quibus ornari actionem virtutis eſt neceſſe. Prodigus igitur, ſi audiendo rectæ rationis præcepto aſueſcat, aut per ætatem, fortunæque viciſſitudinem ſupervacaneis abſtineat largitionibus iis duntaxat munera conferendo, quibus dare juſtum eſt; pariformiter ab iis ſolùm accipiet, à quibus decet. Quid, quòd vitium prodigentiæ ad quandam inſipientiam pertineat? vulgò enim prodigi non improbi, ſed inſani nominantur, cujuſmodi ille fuit Rex Ægypti Epiphanes, dictus

dein Epimanes, quòd incredibili quadam profusione videretur insanire. Quin ipsis legibus cautum est, ut prodigo ceu maniaco curator à Principe designetur. Quibus profectò legibus cæterà exlex paruit Tiberius Cæsar, cùm Senatori per luxum opes & patrimonium dilapidanti curatorem imposuit, ùt testatur Dio Lib. 57. Deinde prodigus, quia dat, & non accipit, nocet quidem sibi, prodest tamen plurimis de una, eadémque communitate membris; Avarus econtra neque per insaniam à vitio excusatur; neque ulli mortalium, nè sibi quidem ipsi est emolumento, quin fortasse multis etiam nocet, & vel maximè sibi. Nam ùt canit Olor Venusinus:

- - - Semper avarus eget,
Quærit, & inventis miser abstinet, & timet uti.

Pulchrè etiam ad illudendum avaris lusit Satyricus, dum Satyr. 10. figuram fecit commutationis, ut parcorum æmuli suos mores immutarent; ità canens:

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed cœci vitiô propter patrimonia vivunt.

Quem verò in finem diu noctúque solicitudinum sentibus ità lancinentur in summa quiete semper inquieti, exquirit hunc in modum Satyr. 12.

Sed quò divitias hæc per tormenta coactas?
Cùm furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris egenti vivere fato.

S. JO-


Genimina labiorum ipsius saturabunt eum. Mors et vita in manu linguæ. Prov. C.18. v.20. et 21.
S. Ioannes Damascenus manu muti lata prodigi ose sanatur. Rib. 6. Maji.
B. Ioannis corpus elevatur, et lingua post 330. annos incorrupta reperta, publicæ, Solennique venerationi exponitur. 4. Iul. 1720.
V. Ioannes a Stranconio Vic. Gen. O.M. cujus cor et lingua incorrupta. Lex. 8. Maji.
Cum Pr. S. C. M.
I. A. P. exc. A.V.



S. JOANNES NEPOMUCENUS

Linguâ incorruptus ;

Pretiosa Immortalitatis

PORTIO,

Lingua corrumpi nescia.

SYMBOLUM : Thesaurus humi defossus post
sæcula inviolatus.
LEMMA : Non pretium violatur humô.

Ob pretium tumulatus hùmi thesaurus, honoris
Non amittit opes, plurima lustra fluant.
Thesaurus melior JOANNIS lingua, vigorem
Non perdit, quamvìs sæcula plura fluant.

ELOGIUM.



Edrinis inara tabulis characteres,
Cùm in pulchræ laudis thema venit
Dignum cedrô linguæ thauma,
Ac elinguem præstat oratorum eloquentiam.
In putri pulvere jacet,
Et tacet florida Hortensii facundia;
Obmutescit Princeps Latii Suada,
Latétque incinerata,
Quando adorat prodigium Curia Quirinalis,
Non ad amica sibi rostra,
Sed pro Aris voce immortali verbosum:
Incorruptam nempe JOANNIS Linguam,
Thesaurum per sæcula humi absconditum
Nulla corruptione violatum:
Quia inviolatum servare novit Sacramenti pœnitentiæ sigillum.
Corrumpi sanè non potuit hæc Lingua,
Quæ extra oris Cannas non prorupit,
Cùm Numen imponeret silentium
Digitum Divinitatis apponendo;
Neque in cineres debuit resolvi,
Quæ æterni Regis ligata imperiô tacuit,
Sibíque taciturnitatem imperavit.
Cautum profectò sacri Oris instrumentum,
Ut orbem ad cautelam instrueret:
Tunc eloquentiam non interesse ad honoris auctarium,

Quan-

Quando tacendi honeſtas relucet in ſilentio,
Ut in præmium gloriæ fiat lingua
Pretioſa Immortalitatis Portio,
Participata Divinitatis particula.
Huic parem non vidit Bohemiæ Regnum,
Cui tantum cæli favorem orbis non invidit,
Sed ſtupuit, & vox faucibus hæſit:
Quòd lingua ſilentiô vocalis
Loqueretur incorruptionis magnalia:
Coram ſacrô Tiarâ coronatis Verticibus;
Illuſtriſſimis, ac Excellentiſſimis Sacratiſſimæ Majeſtatis
Locumtenentibus Regiis,
Coronæ Magnatibus.
Linguis Apoſtoli loquebantur novis magnalia DEI,
Cùm Diviniſſimus Spiritus ſuper illos apparuit,
In forma linguæ ignitæ,
Diſpertitæ nimirum:
Ut Eos cæleſtibus informaret chariſmatis,
Divinæ charitatis flammâ incenderet.
Incendit, ac per univerſum diſperſit orbem,
Quò Incarnati VERBI facundam ſpargerent ſementem
Ad æternæ ſalutis incrementum,
Judaicæ perfidiæ, ac Gentilitatis perfidæ decrementum.
JOANNES novô linguæ prodigiô ſuperavit omnes;
Non quòd ſuo incumbentem vertici habuiſſet
Ignitam Divini Flaminis linguam,
Sed quòd Divini amoris

Ad

Ad congregandas in ovile Christi gentium dispersiones,
Incentivum servaret incorruptum,
Ut etiam à morte incendium sui excitaret
E Quirinali in quarumlibet nationum plagas erupturum.
Erumpe in plausus Bohemia!
Linguam corruptionis expertem
Post fata agnosce Apostolicam,
Quæ cùm nesciret rumpere silentium,
Incorrupta toto loquitur orbe prodigium,
Verámque annuntiat esse fidem Orthodoxam
Sequentibus signis.

CAPUT XIV.

De Magnificentia.

DEO simile homines habent : benignè facere.

Demosth. cit. apud Maximum serm. 8.

BEnignè facere hìc idem denotat, atque magnificum se tum in majestatem Divinam, cùm in Rempublicam exhibere, qualem se ostendit Regum Sapientissimus in illo templi Hierosolymitani prodigioso opere, ac regii palatii structura. Virtus enim magnificentiæ ad mentem Philosophi hìc: *mediocritatem servat in magnis sumptibus rectè faciendis.* Et quamvìs assymbola videatur liberalitati; ab hac tamen quatuor differt modis. Liberalitatis enim est circa expensas mediocres versari, dare & accipere; at magnificentiæ officium est sumptus facere, illósque magnos, unde etiam à magnitudine nomen obtinuit. Deinde omnis magnificus est liberalis, sed non vicissim; nemo etiam dici

potest

poteſt magnificus erga ſeipſum & ſuos ; poteſt autem quis in ſe, ſuóſq; liberalitatem exercere. Duplicia verò ſunt magnificentiæ opera; nimirum *Sacra*, quæ ad Divinum pertinent cultum ; hujuſmodi olim fuêre ſumptus legatorum (teſte Plutarcho in Demetrio) ad Olympicos alióſve ſacros ludos; aut ad oracula Jovis Olympici, Delphicíve Appollinis conſulenda deſtinatorũ. Alia cenſentur *profana*, quæ vel ad publicum Reipublicæ ornamentum pertinent, ùt munimenta urbium, arces, amphitheatra, porticus, &c. vel ad privatã Viri magnifici perſonam ſpectant, v. g. ſupellex aurea vel argentea, horti, &c. Illos autem ſolos decet magnificentia, qui opibus honeſtè acquiſitis non modò abundant; ſed etiam genere vel dignitate ; virtute vel authoritate cæteris mortalium anteſtant ità, ut eorum ſtatus & conditio ipſi etiam operi aliquid poſſit ſplendoris conferre : unde pauperes, ignobiles aut obſcuri homines nequeunt eſſe magnifici. Quis enim verò ſplenem contineat, ſi natus in caula Corydon ſumptuoſum conſtruere palatium attentet ? Divinum ſanè quidpiam ſpirat magnificentia, præcipuè cùm magni ſumptus fiunt in res DEI cultum, Divorúmq; honorem concernentes, ídque non oſtentationis, verùm honeſtatis gratiâ. Quando tamen adeſt affectatio quædam ſplendoris ac magnitudinis in ſumptibus quoad ea faciendis, in quæ minimè illos fieri oporteret, exuperantiæ vitium eſt. Quô deliquit Æſopi tragœdi filius, qui aves cantu nobiles inſanô emptas pretiô pro ficedulis, turdíſque appoſuit in convivio. Sum̃a enim in opipara & ſplendida cœna ignoratio, rerúmq; omnium apparuit imperitia. Nam quò pertinebat ſingularis ille cantus, cùm de palato agebatur & guſtu?

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Per apotheosin Sanctorum Cætui annumeratus;

MAGNUM

Cælestis Aulæ

INCREMENTUM.

SYMBOLUM: Fama Heroum nomina fastis inserens.

LEMMA: Heroës inserit Albo.

Inserit in fastos Heroum nomina Fama,
Immortale diu, qui meruêre decus.
JOANNES loquitur decus immortale tacendo,
Æterno Hunc infert Fama canora libro.

ELO-



B. Ioannes Franc. Regis S.I. à Clem. XI. Beatis adlectus. 24. Maji.

Immemorialis cultus Servi Dei cooperante Archi Ep. Pragensi Ferd. C. Küenburgio, à Clem. XI. et Innoc. XIII. approbatur, permisso Off. et Mis. 7. Iun. 1720.

S. Ioan. de Deo Fund. O. Hosp. Ritu dupl. ab Innocent. XIII ornatus. 8. Mart.


Cum Pr. S.C.M. I. A. P. exc. A.V.

ELOGIUM.


Ruſtrà calame immergeris ſepiæ,
Aureos depoſcit characteres JOANNIS gloria,
Quem ad deaurata empyrei ſubſellia evectum
Vaticani Oracula divulgant.
JOANNES in ſplendoribus Sanctorum!
Tanto prælusit ſplendori vixdum genitus.
Nam à prætexta cæli prætextatus,
Cœpit grandeſcere in Virum perfectum,
Séque probavit Curiæ Quirinalis Candidatum.
Ab hac in Syllabum relatus Beatorum,
Nomen habuit æternis inſertum faſtis,
Dudum Hæres æternæ beatitatis.
Hanc nempe Gratiam omnes adamârunt Charites,
Et pleno torrente Illam inundârunt,
Ut conſummata Sanctitate fulgens
Ad promiſſionis veniret Patriam,
Quæ exundat melle & lacte;
Finitóque curſu vitæ
Metam teneret ſupernæ beatitatis comprehenſor,
Non ſolùm beatus in cœleſti Paradiſo;
Verùm & Sanctus terrigenis.
Ab utero prenſavit cæleſtis Aulæ faſtigia JOANNES,
Creſcebat enim virtutis majeſtate per momenta,
Ut excreſceret in ſummè Sanctum.
Talis fuit in ætatis primordio,

Qualis per ſecula effici non poteſt.
Tantus in ortu!
Poſt crepundia major,
Laxavit magnitudinem pietati,
Quam exilitas infantiæ conſtrinxit.
Ut ſubinde magnum in Aula Divinitatis fieret incrementum,
Nunquam non crevit probitate
Cælitibus ſemper factus vicinior.
Floridam inchoavit infantiam,
Formoſo Gratiæ Adonide nunquam ſeneſcente,
Verùm ad maturitatem virtutis evecto.
Nequiit nimirum veteraſcere JOANNEA Sanctitas,
Quam virtutum aluit nutritia, empyrei videlicet regia,
Non aluit vitiorum inclementia,
Cujus malitia detumuit,
Gratiæ faſces tutante Superûm malacia.
In aprico JOANNIS corde
Solium invenit Chriſtus,
In quo habitaret ſolus;
Nam Nazaræi Floris Campi,
Lilii Convallii
Una ſolùm potuit eſſe Regia,
In qua virtutes, maturæ ſanctitatis flores,
Juge ſumebant incrementum.
In JOANNE continuum:
Quia continuatis virtutum actibus conſummatum;
In celſam enim perfectionis ſublimitatem non tam creſcebat,
Quàm

Quàm ab alto ſublimabatur;
Neque nisì celſiſſimus eſſe potuit,
Cui Gratia Princeps Altiſſimi obſtetricabatur.
Nutritus ad Numinis guſtum,
Gradi vix didicit,
Et fugere cœpit non virtutem,
Sed quod à culmine ſanctitatis Eum retardaret.
Lucroſa fuga!
Quâ Angelicum aſſecutus privilegium
Ob excelſam in DEUM charitatem Divinitatis aſtitit throno,
Perpetuam adeptus inibi ſtationem,
Quò vix alati evolant Seraphini.
Semper crevit gratiâ apud homines,
Et apud DEUM Maximum, Sanctum Sanctorum,
Quem pro magnitudinis ſemper habuit menſura.
Impar eſt orbis dimetiendæ JOANNIS magnitudini,
Qui à ſolo totus in cælum attolli videbatur.
Altioris nempe ordinis Illum fecit gratia,
Qui inter naturæ infima inordinatè vixit nunquam.
Eò Illum gratiæ evexit eminentia,
Ut granditate cæleſtium Chariſmatum fieret eminentior,
Et in gloria Sanctorum
Magnum fieret cæleſtis Aulæ incrementum.



CAPUT

CAPUT XV.

Non profunditur in vanum, quod liberaliter donatur.

NIhil ſuperfluum æſtimatur, quô unô ſuam Politicus maximè oſtendit æſtimationem. Non tamen ſub onere gemat indigentiæ, qui gemmas beneficiorum elargitur; aliàs enim ſua nimiùm profundendo aliena erogabit, aliis irrogabit injuriam. Cætera profuſi animi ùt ùt neceſſaria non ſunt, non tamen videntur ſuperflua; optimum ſiquidem in publico ſecuritatis genus, liberalitate ac munificentiâ ſe munire. Nequaquam redundat, quidquid in gloriam redundat nominis; imò beneficentiæ ignarus ſuæ patitur famæ ignorantiam, ſi & is Cæſar diem perdidit, quô benefecit nemini. Sæpe intricata Reipublicæ expoſcunt negotia, ut aurô explicentur; argentóque clareſcant mala, quæ ab ovo uſque ad malum vix elucidarentur. Quis amabò ſuperfluum æſtimet, quô ipſi appropinquat Numini? cùm nihil tam Divinum ſit, quàm elargiendo de aliis bene mereri. Nempe multa ſunt largienda, ut plura obtineantur. Aperta domus & penus ſequaces trahunt animos, ut cùm alii deſunt tituli, glorioſum in publico eſſe novô munificentiæ titulô poſſideatur. Nullum potentius dominandi genus eſt, neque ſubtilior ſervitus, quàm parta beneficiis, ut ad obſequendi homagium omni tempore ſit parata. Sub aureis olim imbribus Minerva,

nerva, nunc honor naſcitur. Quid enim prodeſt obryzi ſementem domi arridere? Dextera, quæ illud ſpargit, lætas metit ſegetes favorum. Qui tenax eſt nummorum, non audiet nobilis, nisì auream oſtentet bullam ſanguinis generoſi. Tenacitas, animi viſcus, publicum eviſcerat commodum: quia erutum è viſceribus terræ metallum occultat. Maximi Principum ad regnorum amorem & honorem conſervandum tot, tantóſque dignitatum gradus adinvenêre, ut in plures juxta politicæ Maximam beneficentia derivaretur. Unde nihil ità Viros infamat publicos, quàm parcitas, quæ famam clepſit Ruffinis, Pallantibus, Eutropiis. Tenacitas nutrix eſt odiorum, liberalis animus amorem ſibi firmat. Honorata nempe opum ratio eſt, opum largitio, eáque publico homine digna felicitas, felicitate ſua multos facere beatos. Nunquam igitur è burſæ fundo in vanum profunduntur dona; nam beneficiis mactantur alii, ut vivant feliciores.



S. JO-

S. JOANNES NEPOMUCENUS

Vocali ſilentio

Periclitantis Famæ

VINDEX.

EMBLEMA : Paſtor agnos à lupino ore defendens.

EPIGRAPHE : Hebetat vigilantia dentes.

Anxia paſtoris vigilantia ſubvenit agnis,
Cùm facit, ut vacuo frendeat ore lupus.
Una eſt JOANNIS defendere cura Clientes,
Nè famæ mordax lingua nocere queat.

ELO-



Deus Sepulchrum Ioannis insigni,
bus, perpetuisque prodigiis ornat.
Vit. n. 20. et. 22.

Cum Pr. S. C. M. *I. A. P. exc. A. V.*

E L O G I U M.

Ubâ clange Fama !
Argenteo clangore diffama cæli Civem,
Qui niveo tegmine tuam defendit Innocentiam.
Extolle JOANNEM
Super aureos firmamenti orbes ſublimatum,
Vigilem tamen pro terræ inquilinis,
Ut exorbitantes compeſcat luporum fauces,
Quæ alieni honoris inhiant lanienæ.
Paſtor nempe ſolicitus in ſuperna excubat ſtatione,
Ut honeſtum ſtet nomen Clientibus,
Cùm agnino candore albicantem Illi concredunt famam,
Nè lupino ore diſcerpta pereat,
Vel atratô deturpata calculô
Pariat ignominiam.
Famæ portentum Gratia
Portendit cujuslibet honori defenſionem,
Nè mordaces queant Theonino dente famam arrodere;
Quæ vivacitatem amitteret claritudinis,
Nisì gratioſa vallaret illam JOANNIS vigilantia.
Vallat ſanè, & candoris amictu velat pudorem;
Nam tetro ſtigmate vel notari non ſuſtinet,
Vel notorios ſuper nives dealbat,
Iterúmque dignos facit luce publica Candidatos.
Nimirum albicantem Numinis pupillam

Decuit intaminato præfici Nomini,
Nè contaminaretur;
Innocuum candorem fœdato ſepiâ honori,
Ut denigratus evaderet ſinè macula.
Hoc vigile Argo
Nullus atror maculoſus irrepit in pallam honeſtatis,
Neque funeſta linguæ tæda
Fumô bonam allambit nominis famam,
Quæ ſemper eadem venuſtate incolumis ſtat,
Sibíque non tantùm conſtat,
Sed in clari etiam honoris aſſurgit faſtigium,
Immortalibus Heroum digna faſtis.
Nempe illæſum perennat gloriæ decus,
Si gratiosâ tutetur cuſtodiâ JOANNIS,
Qui JOANNÆ regia cidari coronatæ
Primò famam cuſtodivit:
Cùm trabeata Orci Harpyia furtivis ambivit chelis
Pulchræ ùt lunæ argentum ſurripere honoris.
A Capite regali cœpit,
Qui regiâ penè clementiâ ſubvenire cupit omnibus,
Quotquot ſub Illius umbram confugiunt tutelarem:
Tuti etiam in umbra
Nunquam ſuæ candorem famæ obumbrandum,
Cui JOANNES excubitor inſiſtit.
Allatret tumultuoſus livor boni nominis ſplendorem,
Aut rabie furat in honoris lumen:
Adhuc tumulato Cerberi latratu,

Lucem

Lucem diffundet innocuam,
Et radioſo fulgore retundet furias,
Livido æſtui JOANNE ponente terminalia.
Nequit nimirum expavere infamiam,
Cui Gratia excubat pro triumpho gloriæ.
Inſoleſcat licèt Erebi motu invidia,
Impos videndi illæſum alieni honoris auctarium;
Hic tamen nutare non poterit
Stante pro excubiis ſolicitudine JOANNEA:
Moleſta fuit Daphnidi cura ſub ardente Sirio
Super lanigero vigilare grege;
Agnata JOANNI eſt ſolicitudo,
Familiarem ſibi ceu agnam cuſtodire Famam,
Nè quis diffamari queat,
Cùm etiam infames vigilant ad nocendum lupi,
Et mordaci auſu dentes imprimunt,
Ut purpuram exprimant verecundiæ.
Ignorat proinde laudatrix Fama,
Quînam dilaudare queat JOANNEM,
Qui magnitudinis decumanæ eſt portentum.
Silet etiam Muſa,
Cujus ingenium adeò exhauſit,
Ut plura nequeat concinnare encomia
De gratiæ, & gloriæ Abyſſo!



CAPUT XVI.


De Magnanimitate.

Magnanimitas quasi ornamentum aliquod virtutum.
Aristoteles Lib. 4. Ethicorum. cap. 3.

VIrtus magnanimitatis à Marco Tullio dicitur animi altitudo. Ad mentem Aristotelis lib. 4. Ethic. cap. 3. hunc ferè in modum explicari potest, quòd nempe sit virtus, *quæ ad omnia seu adversùs incurrant, seu ex animi sententia eveniant, sic paratum reddit hominis animum, ut nec rebus efferri prosperis, nec adversis dejici se patiatur.* Hanc virtutem inquit Philosophus cum pulchritudine similitudinem habere. Quemadmodum enim pulchritudo dignitatem affert, dignitas verò in magnis duntaxat est, cùm in parvis potiùs quidam sit contemptus; ità magnitudo animi in magnis tantummodò versatur, ac elucet. Duplex autem à Cicerone Lib. 1 de offic. traditur esse magnanimitas: una, quæ versatur in suscipiendis, gerendísque rebus magnis, ac plenis laborum, periculorúmque tam vitæ, quàm eorum, quæ ad illam intersunt; sed hæc non discrepat à fortitudine. Altera spectatur in rerum externarum despicientia, quâ nihil, nisi quod honestum, decorúmque sit, vel admiramur, vel optamus, aut expetimus, neque ulli mentis perturbationi succumbimus. Ille autem magnanimus propriè dicitur, qui cùm dignus sit magnis; his quoque dignum se judicat. Inter magna verò primus est honor. Unde Lib. 4. Ethic. cap. 3. rectè concludit Aristoteles: magnanimi materiam esse

hono-

honorem: quia nempe magni viri claris honoribus ſe dignos æſtimant, ſed tamen ùt oportet: cùm non appetant plures vel majores, quàm ſint promeriti. Nam illi, qui cùm majora poſuêre merita, minoribus ſe dignos judicant honoribus, dicuntur puſillanimes. Qui è contrà magnis ſe dignos arbitrantur, cùm tamen parùm de Republica fuerint meriti: audiunt ſuperbi, tumidi, ac inflati. Et hoc quidem æquiſſimo jure, nam animum meritis vacuum, ſolóque ambitionis ſpiritu ad inſtar utris inflatum habent. Eleganter faſtuoſos ejuſmodi jam olim perſtrinxit Democrates; cùm enim admodùm vetulus perquàm anhelus, ac validè ſpirans Athenienſium arcem conſcendiſſet, teſte Stobæo ſerm. 22. ajebat ſe idem facere, quod univerſa Athenienſium civitas facere ſoleret: *Se videlicet magnum ſpirare, parùm autem valere.* Nequaquam tamen in faſtuoſorum numero computandi ſunt, qui cùm plurima poſuêre geſtorum merita, ad immortales aſpirant honores. Tales enimverò digni ſunt, ut cùm vitam mortalem vivant, tanquam Viri de Republica optimè meriti in fama perennent. Siquidem humana mens inter bona ſua nihil præſtantius numerat, quàm nominis immortalitatem. Sola enim fama illuſtris Magnanimum decet, éſtque illud immortale ſidus, quod nunquam occidit, verùm ex ipſo adeò tumulo reſplendet.



S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIUM

Heroico versu

Laureâ condecoratum.

Synopsis Poëmatis.

FUnestum Bohemiæ Neronem Wenceslaum, cognomentô pigrum, allicit voluptas : ut relictâ virtutum semitâ regali vitæ frænos laxet. Rex objectis sibi à Volupta cupediis inescatus, Otio stimulante, callem terit vitiorum. Virtus JOANNÆ Reginæ domestica, Ejusdem reposcit adjutorium, ut Regem salutaribus incitet monitis ad probitatem amplectendam. Regina Conjugem coronatum à vitiis traducere satagit ad amorem virtutis. Impietas contrà, ut Wenceslaum sibi retineat vectigalem : Oblivionem honesti in Regis animum immittit, & Suspicione comite ejus mentem tum de Reginæ virtutibus præstat fluctuantem ; cùm ad ea inflammat cognoscenda , quæ clavibus Pœnitentiæ sunt subjecta. Fama de his certior facta suo consulere flagitat Tutelari ; Fidem igitur subornat, quæ JOANNIS NEPOMUCENI

fir-

firmet animum ad non revelanda Sacramenti Pœnitentiæ arcana. Rex interea cavillandi amore ſuccenſus, muneribus, ac minis pellicere JOANNEM tentat, ut actus in pœnitentiæ tribunali à Regina patefactos, ſibi revelet. Verùm JOANNES heroô munera, & minas contemnens animô, Sacramenti ſigillum cuſtodit inviolatum. Furit proinde Tyrannus, & NEPOMUCENUM de Prageno ponte in præterfluentem Moldavam agit præcipitem. Stupet invictam Viri fortitudinem Cæli Regia, & Martyri laureato ſidereis applaudit funalibus. Fama verò Tutelarem ſuum Univerſo notum facit, Ejúſque Apotheoſi divulgatâ tanti Patroni cultum ſuadet omnibus, qui ſe propitiâ appetunt gloriari.

Poëma.



Nfractas animi vires, pectúſque tyranni
Auſibus adverſum, cautæque ſilentia linguæ
Neſcia ſacrilego Regis parere ſtatuto,
Illatáſque Viro pœnas, mortémqe fluentis
Conſpicuam, claráſque faces, quas Regia cæli
Martyris applaudens fato ſuccendit, & almo
Fœdere conjunxit pugnantes ignibus undas;
Muſa canet, Cyrrhæque cheli modulamen honoris
Panget, & Andino celebrabit carmine cunctis
Mirandum luſtris facinus. Quæ culmen oberras
Pimplæum, niveáſque foves Aganippidos undas
Aonidum ſelecta cohors, vel nectaris adde
Bellerophontei ſtillam, laticémque repande,
A quo melliflui rorant dulcedine colles:
Ut Divum meritâ JOANNEM laude canamus!

Heſpe-

Hesperios inter colles , quos lumine Titan
Illustrat croceo , dum notis abluit undis
Ignivomo delassatos temone jugales :
Inclyta Czechiadûm tellus attollitur altis
Circumsepta jugis. Augent Telluris honorem
Imperii fasces , parti virtute , sagóque
Majorum . quos fama tulit torpore fugato
Odrysiis pugnâsse plagis , gentémque triumphis
Assuetam domuisse. Decus regale tuendum
Liligera de stirpe Duci gens contulit : Ille
Dotibus Ajacis locuples Mavortis amorem ,
Justitiam , virésque sui cum sanguinis ostro
In genitum trânsfudit : Amor , regníque Bohemi
Carolus Instaurator. Opes augere paternas ,
Virtutémque , throníque jubar , sceptríque nitorem
Ingeniô cœpit natus , felicior omni
Principe , Romanis qui quondam claruit ævis.
Illius imperiô ridebant floribus horti
Nectareis ebriî fluviis ; sulcata labore
Tellus multiplici reddebat fœnore sparsum
Autumnô semen , niveóque superba metallô
De vena meliore tulit nova lilia purum
Argenti florem : tragicus non terruit arva
Mavors , pacato riserunt tempora vultu ;
Tum quid sit bellum : fuit erudienda Juventus.
Ast ubi naturæ persolvit jure tributum
(Ut nullis unquam sunt fata benigna coronis)
Gloria Czechiacæ gentis , sceptrúmque reliquit
Gyrandum Nati manibus : mirabile dictu !
Degener à prima Genitus virtute recessit ,
Contemptáque Patris Tanti ! probitate, tenorem ,
Unô quem tenuit lustrô , damnavit ; & imum
Decidit in barathrum vitiorum. Prodere castô
Horret Musa labrô , quæ crimina faucibus Orci
Emersêre. Furor stygia comitatus Erynni,
Impietásque ferox , tumidóque Superbia gressu ,
Atque Gula ; Heu ! nullis dapibus satiabile monstrum !
Disrupta compage soli viguêre per orbem.

Attamen

Attamen in reliquis palmam tulit una Voluptas
Siren terrestris. Curarum mole sepulto
Affluxit Regi, vetitæ dans dogmata vitæ.
Cessa, ait, insolitis corpus lassare diætis:
Indulgere juvat genio, dum suppetit ætas,
Sulcantésque cutem rugas generosa juventus
Summovet, atque trium patiuntur jura sororum
Luce frui, lætósque favent provivere soles.
Quippe ubi jam lumen frontis nox cæca tenebit,
Florentésque manu truculentâ solverit annos
Atropos: in vacuas transibit spiritus auras.
Hoc nunc accura solùm: præsentia mundi
Carpere, & omnigenâ sensum mulcere voluptâ.
Dixit & illapsu leni præcordia Regis
Demulsit, mirúmque sui causavit amorem.
Ergo valere jubet curas, Regníque salutem
Posthabet Othrysiis, quas ornant fercula, mensis,
Atque saburratum statuit pro Numine ventrem,
Phasiacísque replet dapibus. Stupet Albis edacem
Astydamam, pascítque novum, verúmque Phagonem,
Ac Promachum Emathiæ probrum, Bitiámque bibonem.
Tantum quippe cibi demergit in ilia gurges
Pascuus, atque vorago dapum, Bromiíque barathrum;
Quantum bis quatuor vel lautæ fercula mensæ
Exsatiare viros valeant. Non sic vaga complet
Viscera prædo lupus, cùm tristis tesqua viarum
Circuit, & trepidè carpentes gramina cervos
Aggreditur, satagítque gulam satiare perennem;
Qualiter abdomen farcit dapibúsque, meróque
Helluo Czechiadúm, rabida de stirpe Lyæi
Thyrsiger, atque gulo, cui solùm cura palato
Incubat, Ogygii nunquam non prandia spectans,
Utque adipata famem deducat in ilia, rursus
Ingluviem exacuat: mirò convivia luxu
Instruit: Huc Daunûm saltus, ac Mænala tota,
Huc Tegeæ lucos cogit, cultrísque, verúque
Armatâ pro more manu decernitur: illuc
Damarum, leporúmque levis, majoréque nisu

Illuc armatura gravis vectitur aprorum ;
Quêis natitans, aviúmque volans exercitus amplas
Addit ſuppetias. Gaurani congia vini
Multo potantur ſtrepitu , collisáque vitris
Vitra ſonant , veluti ſcutis pugnantia ſcuta.
Demerſum cyathis genium , Bacchóque tumentem
Gaudet iners vitium , Phlegetontis vipera , quâ non
Ulla magìs mœſto ſuevit pugnare labori.
Eheu Segnities ! Superi quis languor ! in ipſo
Motu vix motum videas : deliberat omnis
Paſſus, & incepto conatus pendet in actu.
Hæc, populare malum, pectus, mentémque Gnathonis
Purpurei lentô tentat ſopire venenô.
Auſibus inſolitis Morphêus arridet , iniquo
Fœdere qui dextram vitiis conjunxit amicam.
Ille ſoporiferos per opaca ſilentia ſuccos
Dividit , & dulci demittit laſſa quieti
Corpora , turbineáſque fugat de Principis aula
Curas , ac animo dulciſſima gaudia præbet.
Segnities mirata ſuis veniſſe lacertis
Morphea in auxilium leni præcordia tabô
Inficit , & Circes aconitô cauta per omnes
Diſcurſat fibras. Vegetas afflata nitoris
Frons amittit opes , oculorum lumina ſtertunt ;
Lethæo pallore genæ fœdantur , amœnam
Purpurei vultûs ſpeciem deturpat hiantis
Spuma labri : flaccent neglecti ſponte capilli ,
Et coma , Narciſſi formam redhibere parata ,
Vertice pendet iners nullius conſcia cirri.
Languor ineſt manibus, pedibúſque ; ſubhorrida mentem
Tœdia contriſtant ; vigor omnis deſerit artus
Moroſos , curáſque velut nova monſtra paventes.
Hæc ubi confecit Lernæam tarda paludem
Cocytíque ſinum teſtudinis æmula ſulcat.
Ampliùs interea tabes per Regia ſerpit
Viſcera , & Arcadico pectus torpore ligatum
Quod feciſſe cupit , faſtidit ; quódque ſolebat
Faſtidire, patrat. Virtus expellitur aulâ,

Et

Et ſcelerum genus omne ſubit; ceu luce remota
Titanis prodire ſolet genus omne ferarum.
Nec mirum: Plutonis amor ſunt otia; cujus
Cor mulcent: Paphiis de plumis proſpicit Orco,
Atque thorum fluxæ vitiorum ſternit Orexi.
Obſtupet imperium Ditis, rabiemque catervæ
Orcinæ Pietas, ſceptrorum maxima cuſtos,
Czechiadûm juſta terras virtute gubernans.
Protinus ergo petit thalamum virtutis amicum,
Et ſacrô comitata chorô conſueta ſubintrat
Limina Reginæ, cidaríque, oſtróque micantem
Talibus affatur dictis: age chara Tonanti!
Vindica ab exilio virtutem; probra Neronis
Carpe paludati, vitam Te conjuge dignam
Vivat; colluviem ſcelerum proturbet ab aula.
Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur
Clarum Majeſtate nefas, ſceptríque poteſtas
In pejus ruitura. Cupis convivere Regi
Inviſo Superis? cave peſtem: tabe ſceleſtâ
Afflabit nocitura tuæ virtutis honori.
Dixit & è Lipare cæleſti ſparſerat ignes,
Caſtáque non nocuis incendit pectora flammis.
Empyrio Regina Deæ tacta uritur igni,
Et lacrymis augens gemitum, probitatis amorem
Aulâ exturbatum vecordi reddere tentat
Scironi, veteríque cupit ſplendore nitere
Virtutem à trabea. Non tantas pectore curas
Purpureus verſat Phalaris, quò crimen in omne
Deruat, & Stygiâ redimitus Latro mephytî
Contaminet Regale decus, fœdétque nefandis
Criminibus diadema ſacrum, ſceptríque nitorem;
Quantas corde gerit ſuperis incenſa favillis
Infelix Regina! Thori melioris honorem
Promerita. Aſt quid agat? lacrymis deploret obortis
Conjugis infauſti vitam? Marpeſia cautes
Non emollitur: quanquam pia lumina ſtillent
Undarum rivos Cyanen tellure daturos
Czechiadûm. Furat, & ſuperis commiſceat ima?

 Diſua-

Diſuadet probitatis amor ; nec conſcia legis
Admittit ratio : prohibens reſidere furorem
Pectore regali. Moneat ? contemnere ſuevit
Immerſum vitiis Oſtrum documenta monentis.
Fluctibus ergo meris agitata profudit ab ore
Solicito threnos. Rutili prô ! ſidera cæli
Præcipiti raptu croceos abſcondite vultus,
Nè monſtrum ſpectetis iners ! velate coruſcas
Umbrarum peplô facies : penuria creſcat
Luminis ; atratô radii celentur amictu,
Ut ſcelerum veſana lues incognita terris
Permaneat ; neque turba procax &mobile vulgus
Regis ad exemplum pravos componere mores
Geſtiat, aſpernans legum, rectíque tenorem.
Ehêu me miſeram ! Quanto præcordia luctu
Colliduntur ? agunt dubio certaminis auſu
Complice cum gemitu mæror ; non ulla quietem
Hora favet, redeunt alterno tempore planctus ;
Quales mœſta dedit Niobe, cùm fuſa jacerent
Pignora ; maternum lacrymis teſtata dolorem.
Cùm Lucina thorum genialem detulit : Aula
Æthereâ virtute nitens arriſit, & ignem
Subdidit, ac facilem fibris ſuccendit amorem.
Allexit probitatis honos, mentémque decora
Vivendi ſpecies divinis nixa ſtatutis
Effecit vectigalem. Spreviſſet an ullus
Limina laurigeris virtutum clara trophæis ?
Regia protexit refugos clementia poſtes :
Atria præbebant miſeris ſolamen ; agendi
Conſuetudo favos, non obvia munera cunctis,
Obtulit, & purum ſpirabant ora lepôrem.
Caſta genas tinxit virtus, & fronte pudorem
Parthenium retinere fuit lex firma marito.
Juſtitiam violare nefas, punire ſceleſtos
Ad Themidis lancem (nî gratia principe digna
Parceret, & vinctos ſineret de compede ſolvi)
Jura repoſcebant ; pulchro certamine ſummum
Manſuetudo gradum meruit : favêre modeſtum

Impe-

Imperium comites. Conſtantia defuit una,
Quâ præſente manent, & quâ fugiente recedunt.
Hac abſente poli periêre malagmata, quidquid
Virtutis ſpeciem trabeatâ prætulit Aulâ
Tranſiit in vitium. Tantum felicibus obſtat
(Si quando pudefacta labet) conſtantia rebus!
Hêu quantos renovat gemitus, quantúmque dolorem
Continuata mali ſeries. Ea dixit & impar
Deliquio jacuit triſti languore profuſa.
Ora gelu conſtricta manent, geminíque pyropi,
Frontis honos; ſqualent aurato lumine caſſi:
Purpureum, niveúmque decus, fulgórque genarum
Illuſtris pallore riget tumulatus; amœna
Triſte ſilet lacrymis offuſi gratia vultûs.
Tempus erat, quo ſolis equi vexêre curulem
Ignivomam rapido medias trans ætheris oras
Curſu, jámque jubar Phœbi velamine lucis
Atratum dubio cœpit fulgere nitore:
Cùm Rex admonitus de fato Conjugis, omnem
Torporem excutiens, inviſit anhelus amantem.
Utque tholum ſubiit pro forma conſpicit umbram
(Sic facit incertam luctûs color) hæret an hæc ſit?
Obſtupuit, retróque pedem tulit: oráque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit æquoris inſtar,
Quod fremit, exiguâ cùm ſummum ſtringitur aurâ.
Sed poſtquam rediêre vigor, mentíque ſerenum,
Percutit indignos claro plangore lacertos,
Expandénſque manus laſſatum corpus Amatæ
Stringit, & egelidis in vultibus aſpicit umbram.
Ut ſenſit Regina ſuis accurrere fatis
Regem, ſuſtollens oculos languore gravatos
Pallenti dedit ore ſonos, animúmque Neronis
Inflexura, docet tanti quæ cauſa doloris;
Et (mirum potuiſſe) ſcelus, vitæque retexit
Infamis telam. Vi tanta ſuadet amorem
Virtutis, quantâ clypeum Laërtius heros
Obtinuit, poſtquam Lyciô cecidiſſet Achilles
Confixus telô Paridis. Rex hæret & aure

Attonitâ ſtupet eloquium cêu fulgura tortum.
Congeminat Regina tonum (nam grande doloris
Ingenium eſt, miſeríſque venit ſolertia rebus)
Atque paludatam rationum pondere tentat
Extimulare magìs Pecudem, quò fulmine vocum
Menti illabatur vitæ melioris imago,
Et depravatos cupiat deponere mores.
Grande malum Impietas, auliſque domeſtica ringi
Icta furore novo cuperet, nî frænet Avernus,
Cujus in obſequiis tota eſt, ſatagens (at iniquè)
Imperio parere ſuo, quod clauditur Albi,
Aut Arari, quod multivagus circumfluit Iſter,
Quódque Tagus dives rutilis amplexibus ornat,
Aut quod Rhenus alit, Tiberíſve minacibus undis
Alluit, & quod aquis circumdat Boſphorus Urſæ
Subjectus gelui, glaciéque aſtrictus inerti.
Hæc ergo Nymphe (furiam magè dixero triſti
Effuſam thalamo, Stygiáque propagine natam)
Limina nota terens arrecta ſuſcipit aure,
Quæ Regina dedit ſævo documenta Gnathoni.
Expallet (ſolet atra genis, vel fuſca videri,
Cùm formam retinet vultûs) & fulgura buccis
Ejaculans, ignémque vomens lamenta ciendo
Murmure fatali, ſtridoribus atria complet
Regia. Non licuit truncatas noſcere voces,
Eloquiíve chaos rabido quod miſcuit ore.
Non contenta dehinc conſueto murmure, vultu
Turbato Stygios Manes, Orcíque paludem
Poſcit in auxilium. Tremulas vox lapſa Charontis
Lethæi nautæ ferit aures : ille retroſum
Attonitos motat crines, ſatagítque videre,
Num ſua quis mœſto ploratu tranſtra repoſcat.
Eminùs ignivomo deſpumans gutture voces
Impietas ſteterat ; viſam ſtupet, atque carinam
Reflectens ſulcante petit ſtata littora contô.
Illa minax affata ſenem : non, inquit, inanis
Eſt hodie reditura ratis ; trans flumina Lethes
Noſtra vehet mandata. Procax oblivio amorem

Virtu-

Virtutis rapiat Regis de mente jubemus.
Ex voto ſi rem felicitet egerit, ibit
Umbrarum major, nigríſque comata ceraſtis.
Dixerat, ille redit, furialia juſſa recenſet:
Fac miſſos, inquit, Manes, populóſque ſilentûm:
Nobilior te cura vocat. Tellure Bohema
Rex piger eſt: Regina animo virtutis amorem
Indidit; Huîc documenta poli de mente revelle,
Nè paveat Superos, ſummi vel jura Tonantis.
Hoc petit Impietas; triplex ſimul optat Erynnis.
Expoſuit mandata Charon: Oblivio rerum
Immemor, ecqua velit? rogat. Ordine ſingula reddit
Juſſa ſenex, iterúmque, iterúmque recantat in aures.
Inſculpſit tandem ſummatim cuncta: recedit
Illa, velut morem gerat: illicò verò regreſſa:
Amiſi me rurſus, ait, nam ſigna locorum
Sunt animo dilapſa. Refer, num Thracas adire,
Czechiadúmve ſacris jubeas diſcurrere terris?
Proripe te, miſſus reſpondet nauta, plagáſque
Czechiadûm velox pete; Rex ignoret honeſtum.
Illa jubet Lethen, & littora nota valere,
Séque per Amſancti fauces protrudit in orbem.
Influit in Regis fibras oblivio: honeſti
Immemor, aſſiduo nova crimina perpetrat auſu.
His tamen Impietas minimè ſatiata, venenum
Inſtillat pejus, mentémque furoribus actam
(Suſpicione mali ſociâ) livore laceſſit.
Regia depaſcit rabioſus pectora livor,
Innocuámque jubet conſortis carpere vitam.
Rex quid agat ſtimulante malo? Minois ad urnam
Ventilet immeritos Rhadamantô immitior actus?
Diſſuadet probitatis honos, qui conjugis ornat,
Et renitere facit vitam: qui cauſat olympo
Delicias, Superûmque choros poppyſmate raro
Allicit Aligeros: cuperent imitarier omne
Virtutis facinus, ſi non natura negâſſet
Corporis exuvias. Juvat explicuiſſe nitorem
Moribus harmonicum: cœpit mera gratia ſedem

Fron-

Fronte ſuam, tinxitque genas, pudor ora tenebat
Ingenuus, niveum divina modeſtia vultum.
Parthenius candor mera lilia protulit; omnem
Manſuetudo vigil juſſit cohibere furorem.
Segnities expulſa animo Garamantidis oras
Inviſura fuit, nisi Rex faviſſet aſylum.
Ergo probam metuens Sciron fœdare cavillô
Conſortis vitam, ſtatuit penetralia cordis
Rimari, ſi fortè ſcelus velamine tectum
Virtutis lateat. Quod duro pectore ſanxit,
Proſequitur votis; Divina, humanáque ridet
Dogmata contemptor Superûm. Mirabile dictu!
Omnia deludit veſana ſuperbia ſceptri,
Ipſa ſibi lex, ac ratio. Non ulla tyrannis
Hactenus extiterat, luſtróve videbitur ullo,
Quæ tantum commenta malum præſumat, & auſit
Numinis æterni ſacrum violare tribunal.
Et tamen Albicolûm Lernæâ pejor Echidnâ
Princeps auſus erat, qui Myſten jura Tonantis
Æqua lance poli librantem, animóſque reorum
Conſtrictos ſcelerum pedicis, noxíſque ligatos
Munere Divino ſolventem torſit, & auſu
Sacrilego, Petri ſubjectos clavibus actus
Reginæ, cupiit trabeatus noſcere Bubo.
Res ſic acta fuit, quantum mihi teſte papyro
Hiſtoriæ, quantúmque recèns tranſmiſſa Quirinis
Collibus acta docent juratis mille probata
Teſtibus, & jugi triplex ſermone per ævum.
Ambitione tumens Phalaris, nimióque pudore
Infamis vitæ tactus, documentáque cæli
Lapſa plagis damnans, moréſque peroſus Amatæ
Innocuos, furit: & rabidos de faucibus ignes
Evomit, ac furiis actus clamoribus Aulam
Complet, & incenſo livori fræna relaxat.
Vix reor, Ætnæus deſpumans flammea vertex
Fulmina, Tenarióſque vomens de culminis antro,
Flammarum fluidos latices; latè omnia circùm
Depaſcens populante rogô, ſimul alta per oras

Perga-

Pergama Trinacriæ vaſtans, cunctáſque Peloro
Vicinas urbes, piceâ caligine fumi
Celatos jaciendo globos, confundere tanto
Turbine conſuevit; quanto magnalia ructu
Atria Pragenæ turbat Dux Czechicus arcis
Horriſonas jaciendo faces. Formidine pulſa
Aula pavens ceſſit, Stygéque emerſiſſe Megæram
Cenſuit armatam pinis, ſævámque colubris
Tiſiphonem evolviſſe caput, Lethúmque, furorémque
Ultricéſque Deas omnes, Ditiſque miniſtras.
Cúmque modum nequiit noto reperire furori
Albicolûm Phalaris, turpi Diomede tyrannô
Sævior, hêu probrum! dignus quem cymba Charontis
Ad Phlegetontæas veheret, raptúmque profundis
Cocyti lacubus Stygiâ demergeret undâ.
Crudeli, quis non ſtupeat, cùm penè referre
Calliopen facinus pigeat, gelidóque gelaſcat
Mens horrore pavens? plùs quàm Buſiridis auſu
Attentat facinus, nullo memorabile verſu.
In jus namque vocat Myſten, mitrâque, pedóque
Clarum; ſed virtute magìs: qui Judicis omne
Munus adimplendo Divini, præbuit aures
Cùm Joanna ream ſe ſiſteret ante tribunal
Numinis expoſcens veniam, noxáſque remitti.
Hujus ab ore putat ſibi profluxura cavilli
Semina, quæ juſtam cieant projecta pudoris
Materiem, lædant fibras, vultúque colorem
Muricis eliciant. Tantùm furor improbus audet
Dente Theonino cupiens convellere famam!
Protinus ergo jubet ſua viſat limina Myſtes,
Gratia cûi dederat nomen, cælúmque vocari
JOANNEM voluit. Fierent cùm talia, fama
Fortè ſuas auræ (volucri nam prædita pennâ eſt)
Czechiadûm volitans campis concredidit alas;
Sidereum per inane volans clangebat in aſtris
Ære Corynthiaco fuſum tibicina cornu.
Tum ſubitò vocis tonitru perculſa, ſuúmque

JOANNEM posci repetitis vocibus aure
Pericipens, celeri deflexit cauta volatu
Tecta superba petens. Gyris vicinior Aulæ
Facta, stupet toties patroni nomen ab ore
Principis egressum. Rationem docta recedit
Ocyùs, & gestit velox audita referre,
Cælicolûm placitis pleno Caurúsque, Notúsque
Auras ore quatit, Famámque per æthera nantem
Remige buccâ aufert, Fideíque ad limina sistit.
Ut vidit Nympham Virgo velamine tecta
Purpureis auri vario subtegmine pictis
Vestibus ornatam, Phrygio depicta labore
Pepla, & crinitis splendentia tempora cirris,
Nec non & geminas, scapulis motantibus alas,
Chrysolitos, celerésque cothurnos, & resonans æs;
Obstupuit Parii testata in fronte colorem
Marmoris, internos dabat ex pallore timores.
At Nymphe attonitam cernens, horroréque muto
Elinguem, mox ipsa suas, nam garrula fertur
Esse nimis, buccas agiles in verba resolvit
Sic affata Fidem. Superûm fidissima Custos!
Et fax terrigenûm, quæ certo tramite ducis
Mortales animos ad cognoscenda Tonantis,
Atque arcana poli, quæ non dissolverit ullus
Oedipus, aut ratio, nisì te præeunte Magistra.
Tu capis ingenium, Stygiæque sophismata solvis
Hæreseos, veríque tenax mala dogmata vincis.
Fac, age, JOANNIS confirma pectus, & inde
Lumen ab axe novum, paveat nè fulgetra pigri
Principis; ardet enim trabeata superbia noxas
Consortis novisse suæ, quas clavibus Illa
Subdidit æthereis; contemnat tela, minásque
Purpureámque necem placitis præponat Averni.
Sic ait, & blandas agitans in nubila pennas,
Complosos quatiens armos, resonánsque metallum
Inflans, veloci faciles se tollit in auras
Motu; pérque àxem, fluidúmque per aëra fertur.

Au-

Audiit hæc Divina Fides oracula, Nymphe
Quæ dederat, divinam in ea latitare Sybillam
Credidit, allapsámque ſacro concluſit Olympo.
Protinus ergo ſui properat ditare clientis
Mentem luce nova. Nè verò ignota putetur
JOANNI, peplum prætendit caſta, genáſque,
Ac niveâ velat geminos in fronte pyropos.
Inſuper effigiat crucis aſpectabile ſignum,
Ut per ſigna fidem Myſtes dignoſcat amicam;
Sic velata volat. JOANNES arce relicta
Vilia præpoſuit celſis habitacula tectis.
Illa leves quatiens pennis fluitantibus auras
Intrat opaca domûs penetralia, jámque precantis
Aſſiſtens lateri lugubre ciet lamentum!
Et Myſtæ ante oculos his ſe cum vocibus offert:
Magne DEI cultor, qui mundi ſplendida ſpernens
Somnia, ſub clypeo fidei famularis Olympo,
Æquáſque Angelicos humana in carne nitores,
Cui Superûm Pater æthereas diſponit ab ævo
In cælo ſedes victrici morte fruendas.
Aude aliquid dignum Superis, Heroëque dignum:
Purpuream ſufferto necem, rabiémque tyranni
Indomitam placidâ vultûs, oríſque coërce
Majeſtate tui. Quòd ſi certaverit arte,
Blanditiiſque Sinon, vulpis contemne favores
Illepidos, ſunt fluxa nimìs, quæ clara poteſtas
Imperiô ſpondere valet. Quid munera proſunt,
Divitiæque Tagi? Croceum Gangetidis aurum
Vilis gleba parit, gignunt torrentis arenæ.
Quidquid habet pretii fulgorem, naſcitur ortu
Exili retinétque ſtatam caliginis umbram.
Sed nec honos aulæ biviam proritet orexin,
Alliciátque ſacras divorum frangere leges.
Te meliora manent in cælis gaudia, metæ
Conſcia nullius; quoniam peritura fugantur
De Superûm patria. Fulgent ſplendoribus illinc
Atria; nobiliore nitent laquearia pompâ:

Clara micante auro, flammáſque imitante pyropo.
Perpolit Iſmarium celſos in vertice poſtes
Obryzum ; biſores ornant cimelia valvas ;
Fundamenta micant lapidum diſtincta pyropis ;
Jaſpide de viridi paries. Non cyngara luna
Illinc, aut roſeo Titan fulgore coruſcat :
Agnus enim niveo de vellere lumina fundit
Aurea, puniceô quæ vincunt aſtra nitore.
Nullus ibi lacrymis locus eſt, mora nulla favetur
Mœrori, luctúſque Stygis propulſus in oras
Exulat, harmonicô reſonant palatia plauſu.
Viſitur in ternis eadem ſubſtantia clarè
Perſonis : Pater ingenitus, genitúmque Paterno
Ex utero VERBUM ; fœcundus ſpirat Amorem
Cum Genitore ſuo Genitus ; non eſt tamen ullus
Aut minor, aut major : par trinis una poteſtas.
Ad Patris dextram ſuperata morte triumphat
Filius, aſſumpta qui carne ſubegit Avernum,
Mortaléſque jugo peccati ſponte redemit
Victor, Divinæ perſolvens ſanguinis oſtrô
Aſtrææ pretium. Tantum caſtiſſima Virgo
Quæ genuit Natum ! fulgore præeminet ipſis
Aligerûm, Divûmque choris, & principe gaudet
Immaculata Parens poſt Natum gloriâ Olympi.
Cœlicolûm reliqui meritis condigna capeſſunt
Præmia, & auratis redimiti tempora ſertis
Elyſios ſinè nube dies cum Numine vivunt.
Hæc eadem merces ſupera tibi ſede paratur,
Si modò decertes pugil, & tentamina Peſtis
Purpureæ ſpernas, Sacramentíque ſigillô
Infractô pereat corpus mortale necatum.
Non potis eſt Sciron nisì corpus perdere, vitæ
Servatur meliori animus mercede beandus
Æternaturâ. Siluit ; deîn remige penna
Limina nota petens liquit penetralia Divi.
Ille autem memori phantaſmate cuncta revolvens
Solvitur in gemitum, dubiæque per otia noctis

Cæ-

Cætera continuat lacrymis rorare (nec illæ
Dedecuêre Virum) pupilla liquescere, fletu
Restagnare genæ; primam ferit altera guttam
Gutta; supercilium resolubile diffluit undis.
Non fuerant lacrymæ, quales mœrore sepulti
Fundere consuêrunt; sed erant mera signa triumphi,
Lætitiæque. Solent gemmatos spargere rores
Sic arbusta, venit primi cùm gratia veris
Omnia læta notans: Zephyros, pulchrúmque virorem,
Et gratos lusus foliorum, herbásque recentes.
Jámque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Tum subitò vesana lues, turpísque cupido
Noscendi labes consortis, mente renata
Cæsaris extimulat tragicis præcordia flammis.
Ergo fremens, impósque sui (nam fræna recusat
Omne malum, siquando fibris dominetur, & altas
Figat radices) in jus sinè jure lacessit
Mysten, cuî labes animi, noxásque solebat
Pandere, cùm lacrymis Nemesin placare Tonantis
Vellet, & æthereos sibi conciliare favores
Speraret Joanna. Pavens stupet aula nefandum
Principis imperium, renuitque pavore gelata
Sacrilego parere Duci. Furit ampliùs effrons
Ad scelus omne animus; cogit terrore, minísque
Jussa reluctantes crudelia. Spondet honores
Si faciant, Gyarásque breves, si velle recusent.
Pendebant dubii; quid recti posceret ordo,
Illustrata dabat ratio; sed principis iram
Extimuêre. Proin diversis motibus acti
In neutrum voluêre latus deflectere. Constans
Atque utinam mansisset amor virtutis! Iniqua
Non fuerant amplexuri mandata tyranni.
Ast hic primorum est error, scopulúsque frequenti
Naufragio infamis, perituri dona favoris
Quærere regnantûm, solidóque charismate cæli
Posthabito, vanis duntaxat pascier auris.

Cùm ſortis ſpirant Zephyri, lenêſque Favonii
Aularum, ac Phœbus ſolii placido ore renidet:
Immodico inflati, elatique tumore Thraſones
Vela ſpei faciunt, pacémque tenentibus Auſtris
Portum ſolicitant, prenſantes littus honoris.
At dum ſors gravior nimbos, ac grandinis iras
Depluit, adversique ſerunt ſua prælia Cauri,
Miſcêntque aulai pontum, Phœbúſque Monarcha
Contrahit in nebulas frontem, torvúmque tuetur:
Ac fortè irato diſpergit fulmina labro,
Imponens, quæ jura vetant, legéſque Tonantis
Ætherei: id curant unum, nè gratia ſceptri,
Cum ſorte abſcedant aliò, nè ſævior aura
Principis exurgat. Quare præfertur honeſto
Utile, virtutíſque decus poſt terga recedit.
Hac egêre vafri primores arte: Monarchâ
Czechiadûm ſpirante minas, frontíſque rotante
Lumina, & horrendùm roboante! Favoris alumni
Ejus ad imperium ficti factique, furorem
Spirant, commotique pares de pectore flammas
Irarum volvunt, pecuinóque impete rapti
Committunt ſcelerata Ducis mandata veredo.
Hæc quando penitus diverſa parte geruntur,
Nempe in adornata Phrygiis magnalibus æde,
Atque Aulæa Ducis: JOANNES ſacra Theandro
Perſolvens, placidâ conſuetæ limina ſedis
Fronte reviſebat memori myſteria mente
Cælica perſcrutans. Patuit qua Numen edule
Replêrit pietate Virum: nam lumina vultûs
Immaduêre; genæ collecti ſanguinis oſtrô
Suffuſæ genuêre roſas, niveíque reluxit
Vultûs majeſtas divini compos amoris.
Ora renidebant pulchrum virtutis odorem
Exemplíque decus ſpirantia, corde vigebat
Cæleſti è Lipare pyra jacta, notáſque ruboris
Prolicuit malis, ignem celare nequibant
Divinum correpta ſacris præcordia flammis.

Frons

Frons incensa dedit mistum candore ruborem;
Non aliter, quàm poma solent, quæ candida parte,
Parte rubent; aut ùt variis solet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem.
Sumpsit amor vires, suavíque tyrannide casto
Subdidit imperio gradientes corporis artus.
Non tulit ulteriùs vehementia tela Pyraustæ
Ætherei Mystes: sed ùt intabescere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ
Sole tepente solent: sic attenuatus amore
Liquitur, & tecto paulatim carpitur ignî.
Cúmque ità succensus suspiria mittit in oras
Empyrei, fletúque domat magnalia, puras
Cælici amoris opes; casu venientis ab aula
Sistitur horrisonâ non noti voce veredi,
Qui mandata Ducis torvô, vultúque minaci
Exponens sua Daphnæo vestigia passu
JOANNEM pressisse jubet. Stupet aspera missi
Facta viri Præsul; placido tamen ore reponit.
Nam veterana solet virtus heroa manere,
Eveniant adversa licèt. Si pessima tentes
Inflixisse: bonum reddet; documenta monentis
Praxeos auxiliô confirmatura Theandri.
Talis erat virtus JOANNIS; namque frementis
Fulgura demulsit blando sermonis honore,
Et præeuntis iter passu graviore secutus
(Tanta virum gravitas decuit, veríque ministrum
Numinis) ad postes aulai venit, & intrans
Regia magnificis laquearia fulta columnis,
Offendit Codros reliqua cum paupere turba.
More proin solito, nam gazis præfuit auri
Cæsaris, ínque vicem locupletis munera Gangis
In miseros largè dispersit egentior Iris
Esse volens; tribuebat opes, & dona vehentis
Aurea Pactoli manibus servabat apertis.
Novit enim sapiens Divini dogma Magistri:
Divitiis nasci spinas, tribulósque cerastûm

Cuſpide pejores. Nimirum vivida virtus
Lædendi, peſtíſque latens eſt indita gazis.
Has magè quò paveant mortalia pectora, cæcæ
Quæ plus noctis habent, aurô progignitur ultrix
Spina, ſalutares jaculari docta dolores.
Ingenii credas obtuſi, quiſquis acuta
Sentis, non ſentit. Cave ſis, tangáſve, premáſve
Liberiùs nummos! laniant, pungúntque rotundi.
Nequitiam novit JOANNES munere functus
Cæſareô; pungi metuens radiante metallô,
Quod duplex Pœnus, quod decolor effodit Indus,
Quódque relegatum diverſis exulat oris.
Novit & expulſas cæli de culmine gazas,
Divitiáſque ſoli, quas ut præſtaret olympus
Infames, illis contexit ritè tyrannos,
Hoc eſt, lictores regnorum, præſcius illas
Ex iſtis contemnendas: communiit hoſtes
Cæli, Paganos; homines, quos notio vultûs
Non totas ſinit eſſe feras: inveſtiit ipſa
Crimina, monſtra Stygis: præluſtris obambulat aurô
Luxuries, ſplendet gemmante ſuperbia baccâ;
Et gula, cuî bibitur, ſemper tamen affluit aurum.
His ut nè fieret Lamiis aſſymbolus; omnem
Prodigus effudit theſaurum, lege perenni
Mam̃onam fugiens; unius homagia curans,
Amphibióque cavens venerari corde Tonantem.
Cùm conſolatos pretiô dimiſit egenos,
Argentúmque, ſuis nîl ſervans uſibus, amplâ
Diſperſit dextrâ; magnalia Regis adivit,
Próque ſui ratione ſtatûs, meritóque Monarchæ
Poplite lunato medio tenùs intima viſens
Oſtia ſublimem ſoliô veneratur. Amici
Labra Sinon finxit cupiens haurire cruorem,
Livoris nempe eſt ſoboles fallacia mentis,
Atque ſtrophæ fraudis. Fraus omni regnat in ævo.
Czechicus hunc cautè Phalaris communiit aſtum:
Triſte ſupercilium ponit, lætáque ſerenat

Iride

Iride contractas frontis ſcaligine nubes,
Explicat in riſum malas, geminúmque benigno
Sidere jucundans oculorum Caſtora blandè
Evibrat, ac Suadæ nectar diffundit in ora.
Hinc ſub amicitiæ prætexto ſchemate, primùm
Effundit mites vafro de pectore voces,
Lætitiæ afflictæ teſtes, alternâque miſcet
Prælia verborum. Tandem, quaſi ſeria vellet,
Magniloquos dedit ore ſonos: Dent præmia Reges
Promeritis, jus omne docet. Nam cætera nulli
Cura foret ſervire throno. Sua munera Victor
Armis parta refert, domuit cùm Principis hoſtes,
Ac pompoſa ſibi ſubjecit Marte trophæa.
Laurigeros Bellona favet, ſancitque triumphos
Belliduci, cujus preſſi virtute fugantur
Adverſi pugiles, ſupplantatíque virentem
Lambere compelluntur humum, magnámque vigore
Amiſſo duplicata vomunt per vulnera vitam.
Quid, quòd & officiis functi regalibus aulæ
Ad clavum ſedeant, noſtríque gubernia regni
Conſilio prudente juvent? ſubſellia nempe
Præclaros excelſa decent. Non vilis oportet
Serpat humi, quem facta probant meruiſſe favorem
Cæſaris, & virtus dignum declarat honoris.
Illa manet conſtans animo ſententia: claros
Muneribus ditare viros, qui ſceptra tuentur
Conſiliô, promptâve manu, dum prælia regnis
Adverſæ intentant acies, armíſque ruinam
Imperio ſignis nocuè volitantibus audent
Inferre. Hos majora manent, qui chriſmate ſacro
Uncti procurant aulæ, populíque ſalutem
Æternaturam. Non ſunt ea dona laborum
(Præſtita namque polo ſolviſſe chariſmata gazis
Grande malum) ſunt laudis honos, meritíque character.
Cúmque Tua probitate palàm te munere dignum
Feceris eximio; regalia jura repoſcunt,
Ut Paſtorali clareſcas ſedis honore.

Unum illud superest, quò tanto culmine compos
Fias: noxarum seriem, labésque recense
Consortis, quas illa Tibi suggessit in aures.
Quippe nefas arcana suæ nescire maritum
Conjugis, aut vitæ dubium ignorare tenorem.
Hæc fatus Mysten arrisit plurima spondens
Munera, divitiásque Tagi, Gangísque metallum.
At Præsul postquam Lernæ domiturus Echidnam
Jam toto ignescit vultu; flagrantis ab ore
Sacra favilla volat, micat acri lumine flamma,
Et gestu, faciêque minax non mellea linguæ
Dona labris fundit, sed miro fulminat ore
Entheus, atque Duci ventoso talia fatur:
Proh scelus! ánne DEI contemnis jura vetantis
Pandere, quæ sacro subduntur facta sigillo,
Quæque tribunali divino credita, nulli
Fas cognôsse datur? pseudo tibi dogmata fingis,
Opprobriúmque facis Superis. Violare Quirinam
Túne fidem, sacrásque potes convellere leges?
Quò tumor impellit mentis, quò pectoris ausus
Sacrilegi? Innocuam consortis carpere vitam
Allubet? & niveos infami stigmate mores
Commaculare? Trabem proprio priùs ejice vultûs
Lumine palmarem; nimirum crimina, nunquam
Albicolûm conspecta plagis. Tum carpe myricas
Labum, festucásque pares. Quis semina livor
Sparsit? Quæve sinu cordis mala vipera sævit?
Ejice pestiferæ, fatalia toxica, lepræ,
Flammásque invidiæ virtutis temperet ardor:
Nè totus quondam pereas, olímque cremêre
Ignibus æternis. Erebo delicta piantur.
Non est, crede equidem, non est, cur luctibus uras
Viscera, & invidiâ flagres, flammásque furoris
Injustè correptus alas. Dirum evome virus;
Abjice liventem sensum, pestémque medullis
Inditam, & insanos actutùm mitte labores
Mentis, nè damnum cieat mala fabrica noxæ.

Susci-

Suſpicio perverſa mali, cupidúſque ſciendi
Fervor in exilium mittantur. Sana reſume,
Ducátque in veram te virtus clara ſequelam.
Si recti, juſtíque vias Conſortis amare
Eligis, ac vero te Relligionis honore
Obſtringis Superis, veniet tibi gratia cælo.
Noxia monſtra cave ſcelerum! Te redde favori
Cælicolûm officii ritu; quem jure requirit
Naturæ ratio, vero ſubjecta Tonanti.
Nec reputes unquam Divinas defore vires,
Quêis ſubigas animum per crimina quæque ruentem,
Ac domitis valeas vitiorum ſurgere monſtris
Altior in palmas. Sed nè conceſſa vagetur
Libertas animi per devia, lege ſoluta
Numinis, & vetitis confirmet pectora noxis.
Quare age, continuò liventem pone chelydrum.
Dixit: At in vacuas Divina parænesis auras
Ac ventos abiit. Nec Præſulis ore movetur
Princeps ſaxa fero, cautéſque in pectore geſtans.
Sed concepta mali demittit ſemina cordi
Altiùs, ac odiis effuſas laxat habenas:
Infremit horrendùm! Jam buxeus ora colorat
Pallor, & expulſo deformat ſanguine malas.
Jam ſe rurſus agunt, revocante furore, rubentes
In ſcenam vultûs ignes, alternáque miſcent
Prælia, & in niveo ſua ducunt bella theatro.
Omnia agit rabies. Dentes ſtridore crepantes
Exerit, infrendétque minis: per labra nigrantes
Evolvunt ſeſe ſpumanti gurgite fluctus:
Flammas lumen alit jaculantes tela furoris:
Planus frontis honos capreatum ſurgit in arcum:
Pulchra capillorum ſeries, nexúſque comarum
Surgens in cyrrhi ſuggeſtum, atrocibus horret
Setarum jaculis. Prô qualia monſtra furoris!
Non ſic Getulis bachans leo ſævit arenis
Vulnere percuſſus, rabido correptus ab œſtro;
Ceû trabeata furit ſpumanti Bellua rictu.

Jam nîl mente aliud verſat, quàm vulnera, cædes,
Funera, & ultrices feſtinat ſumere pœnas.
Tela proinde ferox duplicat ſic Præſulem adortus:
Aut arcana meæ conſortis ritè revela,
Aut potabis aquam fluitantibus eſca futurus
Piſcibus; infamem poſiturus flumine vitam.
Imperio parere Ducis veſane recuſas ?
Cæſaris attentas explodere majeſtatem ?
Hoc ratio, lex, jura vetant, quæ juſſa monarchæ
Amplectenda docent, ſtatuúntque rebellibus æquam
Delicti pœnam. Reſponde; mutus honore
Privatur, ſpretúſque jacet. Nîl credita ſceptro
Verba nocere queunt; tacuiſſe loquenda nocebit.
Reſpondit Præſul divinô percitus œſtrô :
Mergar aquis, fiámque licèt nova piſcibus eſca
Emoriens; Sacramenti non frango ſigillum.
Uſuram tollet perituræ Moldava vitæ,
Immortale dabit cælum pro morte minerval.
Dulce mori, pulchrúmque pati pro Numine vili
Ejus mancipio. Minitaris fluminis undas ?
Nulla fluenta pavet pectus virtutis amore
Succenſum; fluvii latices incendia cordis
Extinguent minimè, ſed erunt moderamen amoris
Tempus ad exiguum. Superatis fluctibus, igne
Empyreo ditata meris præcordia flammis
Urentur. Faveant Superi veſtigia JESU
Poſſe ſequi! Verùm tu, quod vis, delige Princeps,
Aut tibi propitium Numen, ſi ſenſa retractas:
Aut Phlegetonteas, ſi perſtas crimine, pœnas.
Dixit. At iratus Cæſar ſermone feroci
Infremit, ac frendet veſanâ percitus irâ,
Víxque ſui compos furioſis pectora palmis
Verberat; in vaſtos diſtorquet lumina gyros.
Cæſaries commota riget, totóque vagatur
Corpore livor edax. Sed tandem rurſus in iras
Indomitámque redit furiam, quaſsátque minando
Verticem, & ardentem ſpirat tremulo ore furorem,

Præ-

Præcipitémque jubet JOANNEM flumine mergi.
Lictores mandata sui complere tyranni
Festinant, mitémque trahunt ad limina pontis
Præsulem, & adjectis augent tormenta cavillis,
Quæ memorare nequit perculsa horrore Camæna.
Cúmque tenent medium quasi pontem, fluminis undas
Innocuâ ditant prædâ, vitámque Ministro
Numinis elidunt jactu. Stat Moldava fluctus
Attonitos cohibens, mutúmque silentia piscem
Effecisse novum miratur. Deînde citatâ
Squamigerûm turbâ prohibet, nè dente rapaci
Municipem lædant, noceántve manere volenti
Fluctibus in niveis. Pinnato turma natantûm
Vertice signa dedit (fluido sermone datura
Responsum, nisì muta foret) nutúmque spopondit
Sese expleturam. Mirandum sidera cernunt
Concilium natitans, aliàs non flumine visum.
Abscondit siquidem sua Titan lumina, nolens
Sacrilegum spectare nefas. Nox præfuit orbi,
Fulserúntque polô trepidantia sidera, stellæ,
Quæ novitate rei perculsæ fluminis undas
Inspexêre. Virum magno fulgore nitentem
Conspiciunt, nantísque stupent in flumine lumen,
Altricíque suæ (stellarum regia cæli,
Est altrix) nunquam conspectum thauma recensent.
Quinas illa jubet (numeri mysteria celans)
De firmamenti statione recedere stellas
Majores, nitidáque docet redimire coronâ
Martyris exuvias. Claræ funalia pompæ
Deproperant cæli regione, citæque relinquunt
Empyreum, & cumulant superaucta luce triumphum,
Commendántque Virum memori per sæcula Famæ.
Illa sonis linguam lassare ignara, per axem
Indefessa volat, clangítque silentia summi
Fama Viri, qui, cùm se per miracula vulgat,
Voce tacet, sepelítque rudi sua nomina nocte.
More dehinc solito, primùm proba facta per omnem

Differt tellurem, vindex præeuntis honoris.
Rurſus, ut occurrat jacturæ nominis, illud
Inſculpit, non paſſuris oblivia, ſaxis ;
Aut in vivacis conſervat cortice cedri.
Verùm nîl æquè, velut ipſa ſilentia dicit.
Hæc laudis ſunt thema recens, tantóque taceri
Digna minùs, quantò plùs (conſervata per ævum
Triplex, ac ultrà) loquitur ſacra Lingua triumphos.
Nec contenta loqui JOANNEM voce; tabellas
Corripit artifices, & ſupplet verba colore,
Divíſque adſcriptum denuntiat, atque futurum
Spondet propitium miſeris, animátque perennem
Illius ad cultum mortalia pectora cantu.

A. M. D. G.
&
S. JOANNIS Nepomuceni Martyris Honorem



D. O. M. A.

Quod Bonum, Felix, Faustum, Fortunatúmque ſit, Reipublicæ Chriſtianæ, Eccleſiæ Catholicæ, Inclyto Bohemiæ Regno, Almæ, Cæſareæ, Regiæque Univerſitati Carolo-Ferdinandeæ Pragenſi, & Facultati Philoſophicæ eveniat;

AD MAJOREM DEI GLORIAM,

DEIparæ Virginis ſinè labe Conceptæ Honorem;

Annô M. DCC. XXIX. Menſe Junio, Die 30. ab hora nona matutina in Magna Aula Carolina Carolo-Ferdinandeæ Univerſitatis Pragenſis Actus Publicus celebratus eſt;

IN QUO

APPROBANTE AMPLISSIMO

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ COLLEGIO,

LXXVI. Illuſtriſſimi, Perilluſtres, Admodum Reverendi, Prænobiles, ac Eruditi DD. AA. LL. & Philoſophiæ Baccalaurei Ritu ſolemni, more, Inſtitutóque Academico Supremâ Philoſophiæ Laureâ condecorati ſunt;

Pro Reverendissimo, ac Celsissimo PRINCIPE,

DOMINO DOMINO

FERDINANDO

E COMITIBUS DE KÜHNBURG,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Archi-Episcopo Pragensi, S. R. I. Principe, Legato Nato, Sac. Cæs. Regiæque Cathol. Majestatis Intimo Actuali Consiliario, Inclyti Regni Bohemiæ Primate, nec non Almæ Universitatis Carolo-Ferdin. Pragensis Amplissimo, Perpetuóque CANCELLARIO:

LICENTIAM CONFERENTE

Prænobili, Generoso, Clarissimo, ac Consultissimo VIRO

D. WENCESLAO XAVERIO NEÜMANN DE PUCHHOLTZ,

J. U. D. Sac. Cæs. Reg. Majestat. Consiliario, in Alma, Cæsarea, Regiáq; Universitate, Carolo-Ferdinan. Pragensi Sacrorum Canonum Professore Regio, Publico, ac Ordinario, in Inclyto Bohemiæ Regno Regii Fisci Adjuncto, & Advocato Jurato, Inclytæ Facultatis Juridicæ Seniore, nec non prænominatæ Universitatis p. t.

RECTORE MAGNIFICO.

PROMOTORE

Reverendo, ac Doctissimo PATRE

P. WENCESLAO KOLBE,

E Societate JESU, AA. LL. & Philosophiæ Doctore, Ejusdémq; in eadem Universitate Professore Regio, Publico, ac Ordinario.

Typis Universit. Carolo-Ferdin. Soc. J. ad S. Clementem, per Norbertum Fitzky Factorem.



NOMINA

Illustrissimorum, Perillustrium, Admodum Reverendorum, Prænobilium, ac Doctissimorum DD. AA. LL. & Philosophiæ Magistrorum.

1. Prænobilis ac Doctissimus D. Duchoslaus Am-Ende, Bohemus Pragensis.
Prænobilis, ac Doctissimus D. Joannes Columban, Bohemus Patritius Plsnensis.
Prænobilis, ac Doctissimus D. Josephus Azzoni, Bohemus Pragensis.
Perillustris, ac Doctissimus D. Josephus Krsnak Eques de Carlsberg, Bohemus Drahnicensis, Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. Alumnus Liber, ex Seminario S. Wenceslai.

Doctissimus D. Franciscus Holtzenberger, Moravus Znoymensis, ex Seminario S. Wenceslai.

Prænobilis ac Doctissimus D. Bernardus Dacziczky ab Hesslova, Bohemus Patritius Kuttenbergensis.

2. Doctissimus D. Joannes Walter, Bohemus Bilinensis, ex Seminario S. Wenceslai.

Doctissimus D. Josephus Schmidt, Bohemus Coliniensis.

Doctissimus D. Joannes Winarz, Bohemus Podulsshanensis.

Prænobilis ac Doctissimus D. Carolus Leixner, Bohemus Pragensis.

3. Doctissimus D. Carolus Göhler, Bohemus Fridlandensis.

Prænobilis ac Doctissimus D. Thaddæus Kavika de Pirkenthal, Bohemus Welvariensis, Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. Alumnus Liber, ex Seminario S. Wenceslai.

4. Doctissimus D. Josephus Spinetti, Bohemus Pragensis.

Illustrissimus ac Doctissimus D. Rudolphus L. B. de Malovetz, Bohemus ex Seminario S. Wenceslai.

5. Doctissimus D. Jacobus Hrabanek, Bohemus Divissoviensis.

Doctissimus D. Mathias Heldorff, Bohemus Polnensis.

Doctissimus D. Joannes Jäntzsch, Bohemus Schlukenaviensis, ex Seminario S. Wenceslai.

6. Doctissimus D. Joannes Urtica, Bohemus Commotoviensis.

7. Doctissimus D. Christianus Klupp, Bohemus Schönfeldensis.

8. Doctissimus D. Wenceslaus Workert, Bohemus Pürgsteinensis, ex Seminario S. Wenceslai.

9. Doctissimus D. Franciscus Malek, Bohemus Zdechovicensis.

Doctissimus D. Christianus Zenker, Bohemus Bockvanensis, ex Seminario S. Wenceslai.

10. Doctissimus D. Joannes Fritsch, Bohemus Wolfersdorffensis, ex Seminario S. Wenceslai.

11. Prænobilis ac Doctissimus D. Procopius Schuknecht, Bohemus Pragensis.

12. Doctissimus D. Josephus Schrötter, Bohemus Pragensis.

Cum his extra Ordinem promoti ſunt.

Admodum Reverendus, ac Doctiſſimus D. Andreas Kneiſel, Bohemus Theiſingenſis, Curatus Schümenſis.

Reverendus, Prænobilis, ac Doctiſſimus D. Franciſcus Würth de Werhenfeltz, Bohemus Glattovienſis, Vetero-Boleslaviæ Sacellanus.

Reverendus ac Doctiſſimus D. Bernardus Hauſenka, Bohemus Slanenſis, Presbyter Eccleſiaſticus.

Reverendus ac Doctiſſimus D. David Mirling, Bohemus Schlaggenwaldenſis, Presbyter Eccleſiaſticus.

Reverendus ac Doctiſſimus D. Wenceslaus Richter, Bohemus Auſchenſis, Poniklii Capellanus.

Reverendus ac Doctiſſimus D. Franciſcus Nedwidek, Bohemus Launenſis, Alumnus Eccleſiaſticus ex Convictu S. Bartholomæi, SS. Theologiæ Auditor.

Reverendus ac Doctiſſimus D. Joannes Heinl, Noricus Kotſchwicenſis, Alumnus Eccleſiaſticus ex Convictu S. Bartholomæi, SS. Theologiæ Auditor.

Reverendus ac Doctiſſimus D. Antonius Dworzak de Boor, Bohemus Pragenſis, SS. Theologiæ Auditor.

Doctiſſimus D. Michaël Tham, Sileſius Ebersdorffenſis, ex Convictu S. Bartholomæi, SS. Theologiæ Auditor.

Doctiſſimus D. Auguſtinus Piwetz, Bohemus Pragenſis, SS. Canonum Auditor.

Doctiſſimus D. Joannes Neühaus, Moravus Brunenſis.

Proble-

Problemata à Doctiſſimis DD. Neo-Magiſtris reſoluta.

Philoſophicum : An ad Sapientiam acquirendam magis conducant vites : an fontes ?

Ethico-Hiſtoricum : An præſtet adminiſtrari Rempublicam à Viro ſapiente: an potiùs illam optimis legibus gubernari ?

A. M. D. G.

